









130

PHAEDRI

AUGUSTI LIBERTI

FABULAE AESOPIAE

CUM VETERES TUM NOVAE ATQUE RESTITUTAE.

AD FIDEM CODICUM,

PITHOEANI, REMENSIS, DANIELINI ET PEROTTINI UTRIUSQUE, QUORUM INTEGRA ADJECTA EST VARIETAS, ET OPTIMAS EDITIONES RECOGNOVIT, LACUNAS EXPLEVIT, VERSUS A NIC. PEROTTO SOLUTOS REFECIT, FABULAS A MARQ. GUDIO ET PETRO BURMANNO IN VERSICULOS REDACTAS LOCIS PLURIMIS EMENDAVIT, QUAS HIC PRAETERMISIT, LIBRO SINGULARI COMPREHENSAS ADDIDIT

CHRISTIANUS TIMOTHEUS DRESSLER,

IN GYMN. BUDISSINO COLLEGA.

ACCEDUNT

UGOBARDI SULMONENSIS

FABULAE PHAEDRIANAE

E CODICE HAENELIANO ET DUACENSI CUM UTRIUSQUE VARIETATE ACCURATE EDITAE.

BUDISSAE

IN LIBRARIA WELLERIANA.

MDCCCXXXVIII.



PRAEFATIO.

Novum hunc libellum qui adspexerint, cognoscere cupient, quae me ratio ad Phaedri fabulas denuo recensendas adduxerit, postquam plus quadringenties et a viris praeclara eruditione atque doctrina ornatis sunt editae. Illi ne gravius me vituperent, quod eas tanti fecerim nenias, ut numerum editionum jam nimis magnum augere non veritus sim, pauca videntur esse praefanda. Explicanti mihi puerulis Phaedri fabellas nunquam non molestiam attulit, quod non solum reliquiis deperditarum male contextae aut lacerae eorum manibus aliquae versabantur, sed etiam in appendice a Marq. Gudio et Petro Burmanno parata nonnulla inveniebantur, quae numerorum leges et rei narratae ordinem turbarent.

Itaque constitueram libri lacunas, quoad possem, explere et fabulas, quae in appendice adjici solent, emendare, ut tandem aliquando liber, si non esset, certe integer esse videretur. Praeterea quae in fabulis explicatione egerent, ea notis parce adjiciendis illustrare animus erat.

Sed consilium explicandi illud distuli, cujus rei haec fuit causa. Nova ad Phaedri fabulas emendandas subsidia quum circumspicerem et Gustavum Haenelium, Virum Celeberrimum, de codice Duacensi per Orth. Fleischerum, qui orientalium apud Lipsienses profitetur linguas et litteras, consuluissem, codicem fabularum Aesopiarum antiquum in illius scriniis latere comperi. Haenelium igitur, cujus non solum nomen mihi et fama, quae tota celebratur Europa, verum etiam humanitas insignis esset nota, per litteras rogavi, ut codicis mihi faceret copiam. Missum mihi deinde a viro benignissimo codicem cum laetitia vidi non quidem Phaedri ipsius sed Phaedrianas complecti fabulas. Interea mihi e Gallia allatae sunt litterae ab A. Duthilloeulo, bibliothecae, quae Duaci est, publicae praefecto clarissimo, quem de codice

Duacensi interrogaveram, missae, e quibus intelligebam easdem eo contineri fabulas. Quarum collationem dum in eo erat, ut rogarem virum celeberrimum, ipse mihi fabulas ab amico cum codice contentas se transmissurum humanissime promisit. His subsidiis instructus fabulas illas Phaedrianas multo emendatius, quam antea prodierant, edere poteram. Itaque rationes meas ita mutandas esse censui, ut criticam pararem editionem eaque fabulas illas comprehenderem. Ceterum labor ejusmodi ut etiamnunc post Casp. Orellii, viri pereruditi, curam commendari posse videretur, eo factum est, quod Orellio, qui primus criticam paravit, editione demum confecta codicis Danielini accuratiorem notitiam habere et libro fabulas, novas quas vocant, integras continente, uti contigit. Hinc in editionis supplemento plura corrigere et fabulas novas ab Angelo Majo e codice Vaticano redintegratas repetere necesse habuit. Neque tamen ita codicum historia, id quod nemini mirum videbitur, satis expedita fuit. Ea igitur nunc accuratius enarrari, fabulae novae emendatius describi atque libri appendices quae vocantur fabulis a Burmanno praetermissis augeri poterant.

Jam quid hac nova editione praestare voluerim et quam rationem in fabulis recensendis secutus sim, clarius indicabo. Limen libelli est vita Phaedri, in qua quum multa, quae Joan. Schefferus, Alb. Fabricius, Jos. Desbillonius, Sam. Schwabius et alii disputaverant, retractanda essent, omnia ita disposui, ut non solum multorum dubitationi occurrerem, sed simul etiam confutarem eos, qui Phaedri nomen ex antiquorum scriptorum numero delere aut certe ejus laudi obtrectare male seduli sunt conati. Huic vitae subjeci disputatiunculam de fabularum versibus solutis et codicum Phaedrianorum, qui supersunt manu scripti, indicem, omnia breviter exsecutus, ne poëtae morem ab initio aut nunquam animadvertisse aut jam dedidicisse viderer. Quod ad fabulas librorum quinque priorum pertinet, textum exhibui codicis quidem Pithoeani, quem edidit Jul. Berger et secutus est Orellius, emendatum vero ope codicis Remensis, Danielini et multis in locis etiam Perottini. Hic enim cum saepe Phaedri manum incorruptam, tum integros etiam versiculos, qui e Remensi et Pithoeano exciderant, servavit, quos Phaedro, non Perotto, adstruas necesse est. Nam Perottus passim

in fabulis, ubi verbum rarius puerorum causa, quibus librum suum composuit, cum usitatiore commutavit, metri satis imperitum se ostendit. Perotti exemplar familiae italicae a gallica valde diversae multis in locis, ubi haec corrupta habet, integra continet; in aliis contra, ubi gallica sincera est, depravata, ita certe vitiata, ut Perottus medicinam afferre non potuerit. Neque Perottus fabulas emendare instituerat, qui in puerorum usum colligens tantum abfuit, ut criticum agere vellet, ut fabularum promythia et epimythia fere omnium mutilaverit. Libris apologorum quinque in codice Pithoeano contentis addidi Phaedri fabulas a Nic. Perotto servatas. Libro deinde septimo subjunxi fabulas illas, quas Romulus et Anonymus Nilantii e Phaedro olim resolverunt atque Gudius et Burmannus versibus denuo incluserunt. Atque ne quid desideraretur, quas fabulas illi praetermiserant, eas quoque reficere tentavi et singulari libro, qui nunc est octavus, comprehendi.

Fabulas librorum quinque priorum tales fere exhibui, quales Orellius, vir sagacissimus, retulit, id est, emendationibus, quas editores plurimi viris doctis probaverunt,

receptis. Passim tamen aut quae Orellius ingeniose conjecerat, aut quae mea alienis placitis praestare videbantur, ut remedia corruptis adhibui; a conjecturandi vero libidine diligenter cavi. Etsi enim saepius mihi sese offerrent, quae locis ab interpretibus vexatis prodesse viderentur, veritus, ne pro librariis poëtam ipsum tentarem, manum cohibui. In lacunis explendis ita sum versatus, ut quod excidisset, e Phaedri reliquiis antiquitus servatis repeterem, ne qui putarent, mea me cum Phaedri merce arrogantius venditare. Itaque libri I. fabulas XIV. et XV. et libri IV. fab. XIII. Phaedrianas habes. In libri vero II. fab. V., et libri IV. fab. XIV., ubi ea, quae Phaedri non sunt, uncis inclusi, hoc unum spectari potuit, ut mos fabulatoris nostri servaretur. Quae si cui, ut Phaedro non satis digna, displicuerint, praetermittat et voluntatem boni consulat, etiam atque etiam rogo. Cautius sine dubio rem meam tractavissem, si intimum lacunarum libros ut cicatrices frontem utique turpantium odium meum comprimere potuissem. Ab amico etiam, quocum rationem, quam in fabulis retractandis secutus essem, communicaveram, monitus sum, ut, quam narratiunculam lacunae libri secundi

inseruissem, abjicerem et versus ad fabulam libri IV. redintegrandam adhibitos omitterem. Facile enim accidere posse, ut censores, si displicerent, inde occasionem totius operis non solum vituperandi sed reprobandi caperent. Sed ut hoc facerem, ab animo meo impetrare non potui, non quo nimia laudis cupiditate obcaecatus putarem, honorem inde aliquem me consecuturum; quanta enim gloria supplevisse versiculos aliquot poëtae, qui ipse exiguam e neniis suis haberet laudem: sed neminem mihi persuasi fore tam improbum, qui inde arma ad me impugnandum peteret, et justos speravi atque aequos me judices habiturum. Hoc autem ab omnibus, quorum judicium labor meus subierit, perpendi cupio, nunc quidem, quum Phaedri codices antiqui a viris doctis omnes accurate repraesentati sint, fabulas non amplius exhibendas, quales in illis servatae conspiciantur, sed ad genuinam tandem conditionem et pristinam dignitatem, quoad ejus fieri possit, esse reducendas. Atque hoc jam dudum in votis habui, ut scholis tandem aliquando redderetur poëta, non ille, quem hucusque vidimus temporis injuria vitiatum, lacerum et prosaria oratione versibus interjecta deformem, sed qualis

juventuti libris, qui ab ejusmodi vitiis sint immunes, instruendae placere posset. Quod fabularum reficiendarum consilium si vel paullulum adjuvisse visus fuero, in sinu gaudebo. Fabulis libri VI. idem feci, quod quum ad libri V. apologum primum restituendum fecisset Jannellius, laudatus est; promythia et epimythia, quae Perottus resolverat, versibus denuo inclusi, ne inter versus, quod a poëta proficisci non potuit, quidquam amplius conspiceretur. Menda etiam, quae pauca in hac libelli parte adhuc latebant, correxi. Codicum varietatem adnotavi omnem. Aliquot tamen librariorum errores ad orthographiam spectantes sciens praeterii.

Quod deinde fabulas attinet, quas partim Gudius refinxit, partim Burmannus ex Anonymi et Romuli libris in metrum redegit et in appendicem conjecit, mirum est profecto eas hodieque, quales illi fecerant, in editionibus puerulis discendas haberi. Ipse enim Burmannus quum inter fabulas Phaedri a Perotto servatas et quas Dorvillius in Italia detexerat nonnullas *) animadvertisset, quas ipse resti-

*) Eas hic damus, ut lectores videant, quantum Phaedrus refectus a se ipso recedat:

tuerat, in Praefatione ad Phaedri editionem anno MDCCXXVII divulgatam libens agnovit

---

SIMIUS ET VULPES.

Rogabat vulpem simius, caudae suae
De magnitudine aliquid ut sibi daret,
Nates velare quo posset turpissimas.
Quid enim, inquit, cauda tantae longitudinis
Prodest? quo tantum pondus per terram trahis?
Cui vulpes: Esset quamvis illa longior,
Majorque multo, mallem, per terram ac lutum
Spinasque trahere, quam partem tibi dare,
Meo ne tegmine videaris pulchrior.
Avare, te fabella haec, et locuples, monet,
Qui, quamvis superest, nil tamen das pauperi.

LUPUS, PASTOR ET VENATOR.

Quum venatorem fugeret instantem lupus
Et a pastore visus, qua parte fugeret
Et quo se conderet loco, plenus metu:
Omnes per, oro te, bubulce, spes tuas,
Ne prodas innocentem, cui nihil mali
Fecisse me, per magnos adjuro deos!
Noli timere, pastor inquit, alteram
Monstrabo partem. Mox venator advolans:
Non huc venire, pastor, vidisti lupum?
Qua parte fugit? Cui pastor: Venit quidem,
Sed laeva fugit, voce dixit maxima;
At oculis clam designat partem dexteram.
Non intellexit ille et festinans abit.
Lupo tunc pastor: Quas habebis gratias,

se in illis appendicis fabulis saepe a Phaedri manu aberrasse, licet multae voces et locutiones ejus essent servatae, neque integris Phaedri fabulis iterum postea addidit. Eas autem non solum propterea videtur repudiavisse, quod vereretur, ne hae etiam Phaedri fabulae olim integrae invenirentur et ipse, quod tantum aberrasset, parum sagax videretur: sed inprimis ea de causa rejecisse, quod sciret, se eadem audacia, quam in scriptorum

---

Quod te celarim? Maximas linguae tuae,
Lupus, ago, dixit; at oculis fallacibus
Aeternae caecitatem noctis imprecor.
Qui verbis blandus, fraudem celat pectore,
Hoc argumento se describi intelligat.

OVIS ET CORNIX.

In tergo cornix otiosa considens
Ovis tundebat illud rostro. Quum diu
Fecisset, inquit patiens ovis injuriae:
Hanc si fecisses contumeliam cani,
Ejus latratum haud ferres. At cornix ovi:
Collo tam forti nunquam sedeo, nam scio
Quos debeam lacessere annis callida;
Acribus amica, at importuna inermibus.
Sic me creatum dî voluerunt vivere.
His, qui lacessunt innocentes infimi,
Vexare fortes metuunt, scripta est fabula.

antiquorum editoribus vehementissime vituperaret, fabulas illas refinxisse. Atque re vera multis in locis, ubi minime erat necessarium, Phaedri verba a Romulo et Anonymo servata repudiavit et nova undecunque adscita intrusit, neque in metricis insignem collocavit operam. Praeterea in fabula III., VI, et XIII. vitiata codicum scriptura inductus verbis mutatis argumenta etiam obscuravit et impedivit. Itaque hoc mihi faciendum putavi, ut quae metro non satis convenirent, emendarem et conjecturis Burmanni permultis sublatis, quae Romulus et Anonymus servaverunt, locis plus sexaginta reponerem. Notata etiam e Burmanni versibus et fabulis numeris solutis, ubi lectorum id interesse putarem, subjunxi, ut quid emendatum sit et cur emendandum fuerit, facili negotio nemo non possit judicare. Appendix Burmanniana fabulas continet XXXIV, quarum in libro hujus editionis VII. quinque desiderantur. Tres enim illas, quas antea commemoratas hic repetii, inter fabulas libri VI. a Perotto servatas reperies, atque e quinque istis, quas in schedis Gudianis invenit Burmannus, alteram de Homine et Arboribus lacunae libri primi explendae adhibui, alteram, quae apud Burmannum est tertia,

praetermisi. Ea enim neque apud Romulum neque apud Anonymum exstat. Gudius forsitan e codice Visseburgensi descripsit; qui quum nesciamus, num alias etiam, atque Romuli liber, fabulas continuerit et Aesopi fabulae XLVIII. (CCLXXIII.) adeo similis sit, ut ex ea ab homine docto confecta videri debeat, e Phaedrianis eam *) eximendam esse censuimus.

Superest, ut de fabulis, quas liber VIII. complectitur, pauca moneamus. Reperiuntur apud Romulum Divionensem omnes praeter postremam, quae in Ulmensi exstat editione, plures etiam apud Romulum Nilantii leguntur; sed Burmannus eas reficere praetermisit. Fortasse displicuerunt, neque negari potest

---

*) Est autem haec:

VULPES ET JUPITER.

Naturam turpem nulla fortuna obtegit.
Humanam in speciem quum vertisset Jupiter
Vulpem, regali pellex ut sedit throno,
Scarabeum vidit prorepentem ex angulo
Notamque ad praedam celeri prosiluit gradu.
Superi risere, magnus erubuit pater,
Repudiatam turpemque pellicem expulit
His prosecutus: Vive, quo digna es, modo,
Quae nostris uti meritis digne non potes.

non omnes esse lepidas et facetas. Nonnullas tamen Phaedri genus et morem sincerius referentes lectoribus probatum iri confido. Ceterae si minus placuerint, eos rogatos velim, ne mihi de reliquiis qui collegerim, vitio id vertant, sed Phaedri fabulas apud Romulum mirum quantum depravatas ipsi inspiciant et reputent, quam difficile sit in tantis tenebris poëtae vestigia legere.

Phaedri fabulis additae sunt Ugobardi Sulmonensis fabulae Phaedrianae, quas ut quam plurimis in locis, ducentis quinquaginta fere, emendare potuerim, per humanitatem mihi contigit, Gustavi Haenelii et A. Duthilloeuli, quibus viris longe celeberrimis gratias maximas me habere atque agere laetus profiteor. Eae fabulae hucusque multis librariorum erroribus impeditae fuerunt, id quod apparebit e lectione vulgata, quam propterea subjunxi, ut, quantum haec fabularum editio ceteras omnes in ea parte praestet, facile possit intelligi.

Nunc ratione libelli mei reddita nihil videtur superesse nisi ut tibi, lector candide, laborem meum ac me commendem teque rogem, ut quum menda et vitia, quibus opus,

quod ab homine profectum est, nullum vacare potest, in hoc libello deprehenderis, ne meam scribentis vel levitatem vel negligentiam accuses, sed communi mortalium imbecillitati condones. Scr. Budissae Prid. Cal. Septembr. MDCCCXXXVIII.

BUDISSAE, EX OFFICINA MONSII.

VITA PHAEDRI.[1])

De Phaedro poëta veteres admodum pauca tradiderunt. Martialis Epigram. libro III. 20 cecinit:

Dic, Musa, quid agat Canius meus Rufus.
Utrumne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Claudianorum?
An quae Neroni falsus adstruit scriptor?
An aemulatur improbi jocos Phaedri?

Improbum autem Phaedrum Martialis vel appellavit facetissime, quod nimium delectatus est hoc vocabulo, vel etiam reprehendit graviter, quod in quibusdam fabulis enarrandis petulantior fuit. Avianus in epistola ad Theodosium,[2]) quam fabulis suis praetexuit, praeter alia haec quoque scripsit: „Hujus materiae (fabularum) ducem nobis Aesopum noveris, qui responso Delphici Apollinis monitus ridicula (fabulas risum moventes) orsus est, ut legenda firmaret. Verum has pro exemplo fabulas et Socrates divinis operibus indidit et poëmati

[1]) Φαῖδρος, nomen graecum, etsi in codicibus Phaedri ubique nominativo casu scribatur Phaedrus, latine Phaeder etiam recte dicitur, ut Ἀλέξανδρος Alexander. Conf. Frontonis Opp. Ed. Rom. p. 22.: — si quis iste revera Phaeder fuit etc. et Phaedri fab. Aesop. lib. V. ed. a Sam. Schwabio V. C. Brunsv. 1806. Vol. I. p. 198.

[2]) Theodosium hunc, cui Avianus fabulas suas dedicavit, esse Macrobium Theodosium, virum consularem, sacri cubiculi praefectum, Conviviorum Saturnalium auctorem, virorum doctorum plerique censent.

suo Flaccus aptavit,[3]) quod in se, sub jocorum communium specie, vitae argumenta contineant: quas graecis jambis (choliambis) Babrius repetens in duo volumina coarctavit. *Phaedrus etiam partem aliquam* (fabularum Aesopiarum) *quinque in libellos resolvit*", id est, ut nummulos recoxit, e prosa oratione in versus transformavit et in quinque libros redegit. Ceteri Romanorum scriptores nullam Phaedri fecerunt mentionem, unde apparet, fabulas ab iis non habitas fuisse in deliciis. Atque hoc factum eo quoque, quod tam pauci ad nostra tempora pervenerunt Phaedri codices manu scripti, videtur confirmari.

Quod autem Seneca in Consolationis ad Polybium cap. XXVII, si quidem revera ille auctor est hujus libelli, fabellas et Aesopios logos intentatum Romanis ingeniis opus appellavit,[4]) id fecisse propterea videtur, quod sub primum Claudii imperium, quo tempore librum illum scriptum putant viri docti, Phaedri fabularum tantummodo libri duo priores innotuerant, in quibus tam paucae continentur fabulae originis Romanae, ut fabellas connectere intentatum eousque opus Romanis vere diceretur. Accedit, quod Phaedrus ipse[5]) conqueritur, livorem laudi suae obtrectare et vix inter poëtas se haberi a viris fastidiosis, inter quos fuisse etiam Senecam, ideoque Phaedri rationem nullam habuisse e Quintiliani querelis[6]) de Seneca auctores potiores continuo inces-

---

[3]) Conf. Horatii Flacci Satyr. lib. II. 6, 77 sqq. Ep. l. I. 1, 73 seqq. 3, 19 seqq. 7, 29 seqq. 10, 34 seqq. 17, 50 et 51. Ars Po. v. 139.

[4]) Verba Senecae Polybio subblandientis haec sunt: „Non audeo te usque eo producere, ut fabellas quoque et Aesopios logos, intentatum Romanis ingeniis opus, solita tibi venustate connectas."

[5]) Conf. ejus fab. lib. II. Epil. v. 8 — 19. lib. III. Prol. v. 20 — 24 et v. 60. 61.

[6]) Inst. Orat. lib. X. cap. 1. extr.

sente, et ut ipse solus fere in manibus adolescentium esset, curante, non temere conjicias. Nam fabulatorem Senecae omnino ignotum propter fabulas a Sejano suppressas, vel per oblivionem silentio praetermissum fuisse, parum probabile est.

Minime vero eo silentio probari potest, quod praeter Petrum Scriverium [7]) ausi sunt dicere Frid. Christius, professor olim Lipsiensis, [8]) et Steph. Marchesellus, Italus, [9]) fabulas eas non Phaedrum, quod nomen commenticium sit ac fictum, sed Nic. Perottum, Archiepiscopum Sipontinum habere auctorem. Perottus enim, quamvis in Cornu copiae, [10]) quod aetate provectior verum auctorem oblitus erat, se fabulam, quae in Phaedri libro III. est 17, ex Avieno, apud quem non reperitur, in fabulas a se collectas dicat jambico carmine transscripsisse: idem in prologo ad Pyrrhum, quem fabularum libello praefixit, profitetur, non suos, sed Aesopi, Avieni et Phaedri esse versiculos a se collectos. Praeterea Perottus styli Ciceroniani a Phaedriano diversi

---

7) In Animadv. ad Martialis locum supra laudatum vocem satis superbam, ut ait Desbillonius, pro imperio emisit, jussitque haberi vel insanos judices vel nugatores otiosos, qui adscriberent Phaedro fabulas, quae sub ejus nomine circumferuntur.

8) De Phaedro ejusque fabulis Prolus. Lips. 1746. 4. Confutatus est Chr. a Nic. Funccio, Marburgensi, qui edidit Apologiam pro Phaedro ejusque fabulis. Lips. 1747. 8.

9) In disputatione italice scripta, quae exstat in Nuova Raccolta d'Opusculi scientifici e filologici. Tom. XXIII. Ven. 1772.

10) In Cornu copiae sive Commentario in Martialem p. 999. Edit. Basil. 1526 ad libri I. Epigr. 76 (apud Perott. 105) de verbis Martialis: Palladis arbor, haec notat: „Allusit (Martialis) ad fabulam, quam nos ex Avieno in fabellas nostras adolescentes jambico carmine transtulimus: Olim quas vellent“ etc.

1 *

imitator in metricis satis mediocriter [11]) versatus versus composuit Phaedrianis minime aequiparandos. Fabulator enim noster Plauto et Terentio castigatior est et adstrictior, ita tamen, ut honesta quadam interdum libertate utatur, fabulaeque elegantes et latinitate ubivis fere pura scriptae, ut, qui ejus rei gnari sunt, non dubitent, quin aetatem redoleant Tiberii imperatoris. Codices praeterea, quibus Phaedri fabulae continentur, manu scripti antiquissimi sunt et multo ante Perottum Romulus poëtae versus in orationem pedestrem resolvit. [12]) Ex ea enim Vincentius Bellovacensis, qui

[11]) Orellius e Cod. Per. Vol. I. p. 252 senarios Perotti 15 attulit, quos hic repeto, ne quis putet Perottum si non omnium, certe earum, quas novas primi editores appellarunt quasque libro VI. comprehendimus, esse posse auctorem.

Ad Adrianum Contrarium Venetum.

Contrari, *indoctis omnibus contrarie,*
Et gratus doctis et cui grati sunt docti,
Quem tot simul ornant naturae munera,
Ingenium cui dives et ubertas linguae;
Qui es tam disertus, *voce* ut *placares feras,*
Et imis *mortuos traheres sepulchris;*
Qui quodcunque libet docta pingis manu
Polygnoto maior atque Aglaophonte,
Et Zeuxim superas atque Parasium (sic)
Protogenemque Pamphilumque et Melantium
Theonemque Samium Euphranoremque,
Cui sponte doctus palmam daret Apelles:
Quid saevam tantum paupertatem quereris?
Nec facit bonos illa nec facit malos,
Obsuntque saepius, quam prosunt, divitiae.

Idem e prologo ad Pyrrhum, quem infra dabimus, facile didiceris.

[12]) Qui Romulus, quum non solum e quinque Phaedri libris jam dudum notis, sed etiam e novis, quas vocant, fabellis a Perotto solo inter suas servatis plures selegerit, apparet, quantus sit error eorum, qui etiamnunc contendant, Perottum, si non quinque illos libros, certe novas has

Bellovaci in Dominicanorum coenobio degens circa annum 1250 floruit, fabulas XXIX deprômptas Speculo suo doctrinali [13]) inseruit. Perottus autem decessit anno 1480. E Steph. Zamoscii Analectis lapidum vetustorum et aliarum in Dacia antiquitatum, Patavii an. 1593 editis, denique Jan. Gruterus [14]) marmor vetus commemorans: „Albae Juliae, inquit, visitur Lapis, cujus haec epigraphe geminae defunctorum superadditur effigiei:

Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria."

Vides ergo, quemadmodum plurimas veterum poëtarum sententias, in inscriptione versum Phaedrinum [15]) antiquitus servatum.

Tanta veterum, qui de Phaedro poëta commemoraverint, scriptorum paucitate, in iis acquiescendum est, quae ipse de se in libro suo prodidit. Natum se dicit in monte Pierio, lib. III. prol. 17 — 19. Qui mons et regio Pieria quum olim pertinuerit ad Thraciam, [16]) multi Phaedrum Thracem appellarunt; at Augusti jam tempore Strabone teste [17]) Macedones eam tenebant

---

fabulas composuisse. Scriptae enim fuerunt multo ante quam Perottus nasceretur, inter Phaedri fabulas reperiuntur apud Romulum, atque inventio et genus dicendi cum Phaedri stylo mirabiliter constant.

[13]) Exstant illae fabulae lib. IV, a cap. 114 usque ad cap. 124.

[14]) In Corp. Inscriptt. p. 898 n. 16.

[15]) Vide Phaed. fab. III. 17, 12.

[16]) Strab. Geogr. lib. X. cap. III. §. 17. Ἀπὸ δὲ τοῦ μέλους cett. Tom. IV. p. 194. seq. ed. Tzschuck.

[17]) Loco laudato. Conf. praeterea locos Pausaniae in Descript. Graec. lib. IX. c. 29, 2. Χρόνῳ δὲ ὕστερόν φασιν Πίερον Μακεδόνα cett. c. 30, 3. X. c. 13, 3. et quae Siebelis, V. Cl. ad eos disputavit in sua Pausaniae ed. Lips. libraria Weidmannia. Vol. IV. Adn. p. 93 et 97. Pomp. Mela. De Situ Or. II. 3.

regionem, itaque rectius vocatur Macedo. Quo anno et quibus parentibus, utrum patre servo natus an casu servus factus sit, et quo tempore Romam venerit, definiri non potest. Eum genere Graecum a pueritia latinas didicisse literas, et e doctrinae et sermonis elegantia, quae non nisi multo usu comparari potuerit, apparet et e prologi libri III. v. 20 — 23. colligimus, atque ipse in ejusdem libri epilogo v. 23. se puerum legisse versum narrat, qui fuit in Ennii Telepho. In familiam Augusti imperatoris sine dubio propter morum probitatem et ingenii elegantiam receptus domini tantam sibi conciliavit gratiam, ut hic manumiserit; in libris enim manu scriptis Augusti appellatur libertus et fabularum lib. III. 10. sua memoria litem a Divo Augusto dijudicatam esse refert.

Augusto mortuo magna afflictus est calamitate. Ardeliones enim quum libri II. fab. 6. perstrinxisset et simul Tiberii imperatoris imprudentius fecisset mentionem, nonnulli, et imprimis Sejanus, suspicari coeperunt, singulos a Phaedro in fabellis notari, lib. III. prol. 40 — 50, seque a poëta carpi malignius. Quod quamvis neget a se esse factum, auctorem tamen calamitatis se ipsum fatetur fuisse. Videtur autem Sejanus imprimis fabulam de Sole et Ranis, lib. I. 6. ad se rapuisse. Sejanus Liviam, cum Druso, Tiberii filio nuptam, adulterio pellexerat, ad conjugii spem, consortium regni et necem mariti impulerat.[18] Druso per venenum sublato Sejanus, nimia fortuna socors, Liviam sibi uxorem a Tiberio petiit, sed hic, quamvis leniter, negavit.[19] Hinc Phaedrus Sole, qui vellet uxorem ducere, Sejanum, et ranis clamorem tollentibus Romanos criminantes,[20] graculo etiam superbia tumenti et a pavonibus, quibus

18) Tacit. Annal. lib. IV. cap. 3.

19) Ibidem c. 39. 40.

20) Ibidem c. 41.

se immiscere ausus esset, contumeliose repulso,[21]) equitem ad regias nuptias superbius adspirantem significasse visus est. Atque quum fabula libri I. 2, de ranis' quibus regem petentibus Jupiter primo parvum tigillum, deinde hydrum dedit, in Tiberium trahi posset, Sejanus irae indulgens Phaedrum accusavit, idemque testis et judex[22]) majestatis condemnare conatus est. Et quamvis poëta facili negotio, ut qui ex Aesopi fabulis illas in suas transtulisset neque ad invidiam cuiquam faciendam excogitasset, excusari posset neque Tiberius eum ob audaciam Sejani non immerito castigatam admodum sontem putaret: ab imperatore tamen Sejanus, ut, quemadmodum olim Socrates,[23]) in costodiam daretur, impetravit. Qua quum teneretur diutius, librum fabularum tertium, quem antequam fuisset accusatus, exaraverat, postquam prologo versus 33 — 50, fabulae nonae versiculum 3 et 4 inseruerat atque epilogum addiderat, Eutycho viro amicissimo,[24]) eo anno judicis munere fungenti per hominem fidum submisit, atque enixe ab eo petiit, ut tandem aliquando in causa sua, quod religio et fides pateretur, decerneret. Nam qui ante Eutychum eodem munere functi erant, Phaedri causam, ut aliquando periculum effugeret, integram reliquerant[25]) et poëta ipse verebatur, ne qui postea idem munus essent obituri, in se gravius statuerent.

Inter haec Sejanus cupidine imperii detecta cum magna amicorum strage perversus est. Quo exstincto poëta a fautoribus facile servari potuit.

---

[21]) Phaedri fab. lib. I, 3.

[22]) Ph. fab. lib. III. prol. 41. 42.

[23]) Ibid. fabula 9.

[24]) Hunc putant eundem Eutychum, qui apud Caligulam gratiosus fuit, cujusque mentio fit apud Josephum XIX. 3. Antiq.

[25]) Epil. lib. III, 8 — 27.

Periculum forte fortuna propulsatum etsi Phaedrum a fabulis scribendis deterruerat,[26]) libris prioribus, quos florente Sejano ediderat, et libro tertio Eutycho in usum privatum misso postea, quum laudis esset cupidissimus[27]) et scripta sua magni fieri videret,[28]) librum quartum et quintum addidit, illum Particuloni hunc Phileto[29]) dedicavit. De ceteris fabularum libris postea dicetur. Exstiterunt quidem, ut fuerant antea qui, quod a Phaedro inventum erat, sibi vidicarent,[30]) posthac etiam qui, quod memoria dignum erat, Aesopi dicerent, et quod minus placuisset, solum Phaedro tribuerent;[31]) sed poëtam probitate insignem et a lucri studio multis tum pernicioso alienum,[32]) secure ad summam senectutem vixisse e libri V. fabula 10 conjectura licet assequi.

---

[26]) Ph. fab. lib. IV. prol. I.

[27]) Ibid. lib. III. 9, 3. 4. et aliis locis.

[28]) Ibid. lib. IV. prol. 17 — 20.

[29]) Fuisse eos Claudii imperatoris libertos, conjectura est virorum doctorum. Conf. Edit. Schwab. vol. I. p. 19 seq.

[30]) Phaedri fab. III. 3.

[31]) Ibid. IV. 7 et 21.

[32]) Ibid. IV. 11. V. 4, 7 — 12. coll. Suet. Tiber. c. 49 et Taciti Ann. VI. 19.

DE FABULIS PHAEDRI IN ORATIONEM PROSAM RESOLUTIS.

Omnium fabulatorum celeberrimum Aesopum, natione Phrygem, conditione primum servum, postea a Jadmone philosopho manumissum, denique multis itineribus factis apud Croesum Lydorum regem vixisse veteres tradiderunt. Qui quum fabularum esset auctor ingeniosissimus et narrator maxime festivus, factum est, ut non solum multae aliorum fabulae ei adscriberentur, sed universae etiam postea Aesopiae dicerentur. [1]) Traditae ab initio et propagatae ore jam ante Socratis tempora literis consignatae videntur. Fabularum Aesopiarum Babrius, qui et Babrias vocatur, quemque Augusto imperatore floruisse existimant,[2]) Aviano teste duo volumina, Suida auctore decem βιβλία in choliambos redegit, sed paucae ad nos integrae pervenerunt. [3]) Ex his Babrii choliambis in orationem prosam deinde ita resolutis, ut passim numerorum vestigia manerent, postero tempore illi, qui fabulas Aesopias collegerunt, tanquam e fonte plurima videntur hausisse. Etiam Ignatius Diaconus, qui e librariorum errore vulgo Gabrias dictus ineunte seculo nono floruit, e Babrii fabulis maximam partem τετράστιχα δίϊαμβα εἰς τοὺς μύθους

---

[1]) Quint. Inst. Or. lib. V. c. 11, 19.

[2]) Thom. Tyrwhitti dissert. De Babrio etc. Acced. fab. fragm. 8. Lond. ap. Payne 1776. Recusa est cum auctario cura Harlesii Erlang. ap. Palm. 1785. Exstat etiam in Aesop. ed. de Furia. Lips. ap. Weigel. 1810.

[3]) Babrii fab. et fabular. fragmenta. Acced. metr. fabul. Aesop. reliquiae. Coll. et illust. Henr. Knochius. 8. Halis sumptibus Schulzii 1835. — In hoc libro de poëtae nomine et aetate fusius disputatum est.

Αἰσωπικοὺς sua haud nimis elegantia confecit. [4]) Babrii fabularum numeris solutarum 96 et Aesopi vitam Rainutius (Ranutio d'Arezzo), quem vulgo Rimicium vocant et cum Romulo saepius confuderunt viri docti, e graeco sermone in latinum transtulit, et Antonio Cerdano, qui anno 1459 decessit, dedicavit. [5])

Idem quod Babrius choliambis graecis, Phaedrus jambis latinis exsecutus est. Nam et hic ab initio Aesopi apologos versibus senariis polivit, eorumque libros duos Tiberio imperatore in vulgus edidit. His deinde fabellas suas Aesopi stylo. exaratas adjunxit, quarum librum, qui nunc est III, Eutycho in usum privatum misit, quartum Particuloni, quintum Phileto dedicavit. Libri hi posteriores subinde cum prioribus conjuncti sunt. Hinc Avianus, qui exeunte seculo quarto vixit, Phaedrum partem fabularum Aesopiarum aliquam in quinque libellos resolvisse tradidit. Priorum librorum fabulas aliquot intercidisse, e prologi libri I. versu 6 et numero fabularum libri II. exiguo apparet. [6]) Neque libri V. integer videtur superesse. Scripsit etiam poëta plures libris istis non comprehensas, quod infra demonstrabimus.

Primum inter Latinos fabulas oratione pedestri Julium Titianum, qui Caracalla, Macrino et Heliogabalo principibus vixit, composuisse et haud dubie Babrium graecum latine vertisse docuit ex Ausonii

---

[4]) Gabriae sive potius Ignatii diaconi tetrasticha in fabulas Aesopicas. Cum version. Jos. Scalig., Fab. Paulini et J. Fidleri. Cygneae 1668. Cum ver. germ. edid. Berger. Monach. ap. Lindauer. 1816.

[5]) Vita Aesopi e graeco latina per Rynutium facta. Mediol. Anton. Zarottus. 1476. Postea saepius recusae sunt illae fabulae.

[6]) Conf. quae ad fabul. 14 libri I. et 5. lib. II. notavimus.

epistola XVI. ad Probum Chrn. Wernsdorfius. 7) De eis fabulis Avianus in epistola ad Theodosium videtur commemorare, ubi dicit, se fabulas Aesopias rudi latinitate compositas elegis explicare conatum. Res tamen dubia est. A Phaedro vero Avianus nihil est mutuatus.8) Id primus Aphthonius, rhetor et sophista Antiochenus, seculo IV. fecit. Prosa oratione hic graece fabulas XL scripsit, quarum plurimas ex Aesopo, Phaedro et aliis videtur collegisse. 9)

Secutus est Romulus, non ille urbis Romae imperator, ut in Nilantii codice manu scripto perperam appellatus fuit, sed scriptor quidam, qui quum a Vincentio Bellovacensi commemoretur, 10) si non prius, certe seculo XII. fabulas LXXX conscripsit in quatuor libros digestas. 11) Dicit is quidem in epistola libro I. praefixa, se de graeco sermone in latinum transtulisse,

7) In Comment. de Carminib. Avieni, praemissa Ruf. Festi Avieni Descript. orb. terrae. Poët. Lat. minores. Vol. V. p. 665 seq. Helmst. ap. Fleckeisen. 1791.

8) Avianus quum cognovisset, quae fabulae a Phaedro jam senariis essent politae, eas consulto videtur praeteriisse; nam vix ter aut quater idem quod ille argumentum tractavit.

9) Editae sunt cum Jac. Kimedontii vers. lat. a Neveleto in Mythol. Aesop. Francof. 1610.

10) In Spec. Historiali. Libro IV. cap. 2. Speculo utrique cum Historiali tum Doctrinali Vincentius fabulas XXIX e Romuli libris excerptas inseruit, quas ad Romuli fabulas emendandas contulit Sam. Schwabius.

11) Romuli fabulas primum e codice quodam impressae sunt Ulmae in officina Joh. Steineri cum Henr. Steinhoewelii versione germ., nulla anni mentione, at conjectura probabili intra an. 1476 et 1484. Haec editio rarissima continet etiam fabulas Veteris Anonymi, fabulas XVII, quae appellantur extravagantes, fabulas XVII Aesopi a Rimicio latine versas, fabulas XVII Aviani, fabulas XXIII Adelfonsi, Deligami et Poggii. Praemissa est Aesopi vita e gr. in lat. linguam per Rim. translata.

sed adeo manifesto Phaedri versus interpolavit, ut in ejus oratione pedestri numerorum vestigia nemo non facile agnoscat. Hinc Romulum Phaedri paraphrasten non immerito appellaveris. E Phaedri libris quinque prioribus Romulus transtulit XL et e sexto, quem Perottus servavit, VIII selegit. In his fabulis saepissime ipsa Phaedri verba, quae nunc in codicibus habemus, retinuit. Itaque dubitari non potest, quin Romulus codice antiquo ad fabulas componendas usus sit, sed integriorem habuisse, quam illos, qui ad nos pervenerunt, necesse est. Nam reliquas fabulas XXXII scriptorem ingenii acumine non florentem de suis addidisse parum est probabile, neque e graecis aut aliunde petitas esse demonstrari potest. In epilogo ad Rufum Romulus haec quidem scripsit: „Veteres et paucae olim fuere fabulae, sed ut majus fieret corpus, adjeci et meas novas, aperte et breviter scriptas.“ Sed haec cave ad ipsum Romulum putes esse referenda. Quum enim, ut cetera epilogi verba ex aliis Phaedri versibus, e Phaedri ad librum IV. prologo interpolata sint, ad Phaedrum pertinere facile apparet. Quae quum ita sint, eas etiam fabulas Phaedrianas esse arbitramur.

In numero eorum, qui Phaedri orationem ligatam solverunt, referendus est Anonymus quoque quem vocant, Nilantii, cujus nomen pariter ac vita et aetas ignoratur. Apud Belgas vixisse e fabul. 24, 25 et 48. colligere licet. Fabulas scripsit LXVII multis nominibus

---

E codice Leidensi admodum manco et interpolato Rom. fab. XXXXV ed. J. F. Nilant Lugd. Bat. 1709, quibus ex ed. Ulm. XV adjecit.

Ad exemplum denique a Gudio e vetusto codice Divionensi descriptum emendatius una cum Phaed. fab. ed. Sam. Schwabius. Membranas Divionenses, in quibus Rom. fab. libris IV subjuncti erant Plinii Hist. N. libri XXXII, quingentorum et amplius annorum judicavit Gudius. Ejus apographum in bibl. Guelferb. celeberrima nunc asservatur.

Romuli apologis similes; non magis enim quam illi sunt interpolatae. Exhibet tamen fabulas XIV, quae apud Romulum non inveniuntur. Fabulae XXXII, quas e Phaedri quinque libris prioribus assumsit, ita sunt comparatae, ut quin codice Phaedri manu scripto usus sit, dubitare non possis.[12]) Non enim solum voces Phaedri singulas, verum integros adeo versus servavit. Itaque ad Phaedrum emendandum non parum contulerunt.[13])

Multos olim fuisse, qui illo modo Phaedrum compilarent, Burmannus in praefatione ad editionem Leid. a. 1727 divulgatam docuit. „Suspicionem, inquit, dudum natam fuisse doctis novimus, Phaedri fabulas ideo fere periisse, quia senariis versibus conscriptae, indoctis et rudibus librariis sermone soluto credebantur ab eo proditae. Quia etiam nulla fere secula effluxerunt, quibus non fabulas fingere, et Aesopi ad exemplum, hoc scripti genere sui temporis mores notare instituerint viri mediocriter eruditi, qui vestigia Phaedri prementes, vel ipsas Aesopi fabulas interpolaverint, vel ejus nomen interponentes auctoritatis gratia, affectus proprios in fabellas transtulerint, hinc fabulas in immensum fuisse multiplicatas diu constitit. Quotquot enim materiam paratam reperirent, et fabulas ab aliis jam proditas legerent, vel majori verborum ambitu eas amplificare, vel, ut viderentur a se fictae, aliis verbis efferre, vel mutatis saepe personis, et animantium

[12]) Ad Babrium, inquit Henr. Knochius lib. I. pag. 69, se composuit, qui fabulam Latine conscripsit apud Nilant. p. 25 (XXIX.). Quod ne credas cave; nam Anonymi verba plurima apud Phaedrum leguntur, Babrii vix unum et alterum latinis respondet.

[13]) Editae sunt eae fabulae primum e codice Js. Vossii cura Fred. Nilantii Lugd. Bat. an. 1709. et nuper cum Phaedri fabulis Patavii an. 1813 in Collect. omn. Script. Lat. Tom. XXIV.

sermonibus exempla et argumenta fere eadem exhibere instituebant. Et hoc modo vera Phaedri inter tot adulteratas et fucatas a monachis et morum magistris merx periit. Ut enim penitus ignoraretur operis antiqui dominus, promythia et epimythia etiam abjiciebantur, aut ad religionis Christianae placita accommodabantur et inde etiam saepe alia verba, mores, ritus et personae substituebantur, et si quae fabulae, etiam brevissimae, gentium superstitionem saperent, plenis taedii et fastidii disputationibus, ad docentium ex cathedra morem, extendebantur. Hinc natae illae Aesopi fabulae moralisatae, quo titulo codices multi (?) in bibl. adhuc publicis et privatis supersunt. Hinc sub Rimicii, Romuli et nescio quorum vel obscurorum virorum, vel nomine carentium, titulo fabulae multae,[14]) omnes quidem

---

[14]) Ex hoc genere etiam fuisse videntur fabulae Aesopiae codicis Visseburgensis, quem Gudius, qui eo usus est, vocat antiquissimum et in quo pleraeque Phaedri fabulae satis ampla paraphrasi explicatae erant. Qui quum incertum esset, utrum Romuli an alius cujusdam fabulas Phaedrianas contineret, bibliothecarum Visseburgensium praefectos, ut ejus mihi copiam facerent, per literas rogavi. Sed non amplius codex ille repertus est. Qua in re quum summa in me senatus Visseburgensis fuerit humanitas, non possum quin literas ad me missas ut officii testimonium locupletissimum cum lectoribus communicem.

Wissemburg, le 2. September 1837.

Monsieur,

J'ai reçu Votre honorée lettre du 27 août, par laquelle Vous exprimez le désir d'obtenir une copie d'une Collection manuscrite de Fables d'Esope, qui doit exister dans les bibliothèques de cette ville.

Je regrette beaucoup, Monsieur, de ne pouvoir satisfaire à Votre demande, attendu que le manuscrit dont il s'agit ne se retrouve point dans la bibliothèque de la ville ni dans celle des autres établissemens publics, et que le sort en est complètement inconnu. Il est à présumer qu'

reliquias quasdam veterum auctorum et vestigia servantes, sed variis interpolatae modis, prodierunt. Verus vero Phaedri labor, ut triticum spinis et vepribus suppressum et suffocatum, diu plane intermortuus jacuit."

Restat ut de Perotto, qui Phaedri fabulas integriores servavit, pauca adjiciam. Adornavit is Pyrrho nepoti fabularum et epigrammatum συναγωγὴν, facili opera utilia cum dulcibus complexus. Quod fabularum opus ita ortum esse refert Paulus Jovius in Elogiis virorum literis illustrium. Perottum, cui curta fuisset supellex, adolescentem in ludo pueros honestos docuisse. Mox latinae linguae rudimenta, utili compendio ad normam digesta atque ob id facile pueris perdiscenda publicavisse. Juniorum igitur studiis ut inserviret, collegisse ex optimis auctoribus fabellas puerorum ingeniis accommodatas, nominatim ex Aesopo, Phaedro, Aviano, quibus addiderit et suas, aliis immixtis carminibus ab adolescente in chartas conjectis. Hanc collectionem sive chrestomathiam deinde seniorem in lucem emittere apud animum constituisse, dedicaturum Pyrrho Perotto, fratris filio, adolescenti suavissimo. Sed opusculum casu aliquo lucem non adspexisse. Ejus codices duo inventi sunt, qui continent praeter paucos versus e prologis Phaedri Lib. III. et IV. Perotti Prologo furtim insertos Phaedri fabulas XXXII,[15]) decurtatas tamen prooemiis

---

ayant fait partie des bibliothèques du chapitre prévôtal il a été détruit ou égaré à l'époque où le vandalisme populaire a envahi, après la révolution de 1789, *les établissemens ecclésiastiques.*

Veuillez agréer, Monsieur, l'assurance de ma considération très-distinguée.

P. le Maire absent
l'Adjoint Wunschendorff.

[15]) Sunt libri II. fabb. 7. 8. 9., pars epilogi libri II., libri III. fabb. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 12. 13. 14. 15 16. 17. 18. 19., libri IV. fabb. 19. 20. 21. 22. 24., libri V. fabb.

atque epimythiis. Addidit etiam fabulas XXXII alias, eodem modo mutilatas, quas perperam a nonnullis Perotto tribui jam supra demonstravimus. „Nimis enim, inquit Orellius, quamvis tenues sint et exsangues, superant poëticam nostri Episcopi facultatem. Minime contra discrepare videtur et inventio et genus dicendi per se spectatum a Phaedro dudum noto.“ Quae quum ita sint, eas fabulas a viris doctis Phaedro recte restitutas arbitrati in hac editione libro VI. inclusimus.

---

1. 2. 3. 4. 6. Hinc colligit Orellius Perottum usum esse codice Phaedri admodum mutilo; nullam enim aliam rationem excogitari posse, cur abstinuerit a toto libro primo ac priori secundi parte in συναγωγῇ sua compilanda.

DE CODICIBUS, QUIBUS PHAEDRI FABULAE CONTINENTUR, MANU SCRIPTIS.

Phaedri codices manu scripti et qui hucusque innotuerunt sunt:

I. Codex Pithoeanus, nunc Rosanboanus, sec. X.
II. Codex Remensis, sec. X., combustus an. 1774.
III. Vetus Danielis chartula, sec. XII.; dicitur eadem Codex Petavianus, Codex Vossianus et Schedae Regiae.
IV. Codex Neapolitanus, sec. XV., vulgo Codex Perottinus.
V. Codex Vaticanus, sec. XV. [1])

CODEX PITHOEANUS.

Codex Pith., quem Pithoeus, Rigaltius, Brotier, viri rei antiquariae bene gnari perantiquum esse viderunt, a Bergero, ejus editore novissimo, ita describitur: [2])

[1]) Codicem Duacensem, quem e Gust. Haenelii V. Cel. Catalogis Mss. Lips. 1830. p. 159 commemoravit Casp. Orellius in Phaedri ed. longe praestantissima, quae Turici prod. an. 1831, p. 5, non Phaedri ipsius, sed Vet., quem vocant, Anonymi fabulas Phaedrianas complecti, A. Duthilloeul, bibliothecae, quae Duaci est, publicae praefectus clarissimus, litteris officii plenis me nuper edocuit.

[2]) Phaedri, Aug. Lib. Fab. Aes. lib. quatuor ex Codice olim Pithoeano etc., contextu codicis nunc primum integre in lucem prolato, adjectaque varietate lectionis e codice Remensi, a Dom. Vincentio olim enotata cum prolegomenis, annotatione, indice edidit Julius Berger de Xivrey. Par. excudebat Firm. Didot. MDCCCXXX. 8. pag. 54.

Le fac-simile, qui est pris sur la première moitié de la page 70, prouvera aux connaisseurs que le manuscrit de Rosanbo n'est certainement pas plus récent que le Xe siècle, Il est tout entier d'une très-belle conservation. L'écriture est de la plus grande régularité; c'est cette minuscule arrondie du Xe siècle que les calligraphes de Florence imitèrent au XVIe, mais en diminuant la dimension des lettres, et en ornant leurs majuscules de jolies arabesques; tandis que les manuscrits des IXe et Xe siècles n'ont le plus souvent aucune espèce d'ornemens. C'est le cas de celui-ci. Les grandes lettres du commencement des fables sont des majuscules toutes simples, écrites avec pureté et ayant environ trois ou quatre fois la hauteur des autres lettres. Elles sont d'une encre rouge ou tirant sur le violet. Les titres sont d'un beau rouge, ce qui indique facilement à l'oeil la séparation des fables. Car du reste ils sont écrits à la suite des derniers mots de la fable précédente, et, par conséquent, ne commencent la ligne que si la dernière ligne de la fable précédente est entièrement remplie. Quant au corps de la fable, il commence toujours avec la ligne et sa première lettre qui est, comme nous l'avons dit, une majuscule, est toujours à la marge. Tout ce qui n'est pas titre ou majuscule initiale est d'un brun assez clair, mais cependant toujours facile à voir.

Il paraîtrait que le calligraphe, après avoir écrit tout son manuscrit, l'a relu et a corrigé tantôt bien, tantôt à contre-sens. C'est ce qu'indiquent certaines corrections d'une encre un peu plus foncée, mais évidemment de la même main. Delà les doubles leçons pour le même mot.

La séparation des vers n'est nullement indiquée. Les mots y sont ou réunis, ou bien séparés tantôt régulièrement, tantôt à contre-sens, comme dès le commencement hance go polivi.

Le seul véritable signe de ponctuation qu'on y rencontre est le point d'interrogation. Quant au point en haut,

en bas, au milieu, et même quelquefois joint à une virgule, il ne signifie rien, le calligraphe, qui paraît n'avoir pas compris ce qu'il écrivait, les ayant placés comme au hasard. Quelques-uns servent aussi de ce que les Grecs appelaient διαστολή.

L'allitération n'y est pas observée dans les mots où nous la plaçons. On la trouve très-rarement, et justement dans les mots où nous n'en mettons pas, comme ammonere *pour* admonere, *page* 39 *du Ms.,* ammirans *pour* admirans, *pag.* 44 *du Ms.,* sumtus *au lieu de* sumptus, *etc.*

Les lettres l *et* i *ou* j *au commencement des mots sont obsolument pareilles, ce qui fait que* iocus *ne peut se distinguer de* locus *que par le sens.*

*L'*e *y est assez souvent substitué à l'*i, *le* b *au* v *et l'*o *à l'*u.

Les principales abbréviations sont un trait au-dessus de la voyelle, à la place de la lettre m, *le même trait pour indiquer la duplication des consonnes, et sur l'*e *pour* est, q. *pour* que, *conjonction copulative.*

: *pour la terminaison* us *aux datifs pluriels après un* b.

*Un trait au-dessous de l'*e *pour* ae, *diphthongue.*

La reliure est en carton recouvert d'un parchemin tout uni. Le manuscrit est écrit sur un parchemin d'une épaisseur moyenne. Il est in-4°, et contient 54 *feuillets, dont les fables de Phèdre n'occupent que les* 38 *premiers, qui sont numérotés par pages, c'est-à-dire, sur le* recto *et le* verso. *Les autres, qui ne sont point numérotés, renferment une espèce d'ouvrage d'histoire naturelle fabuleuse, ou description d'êtres comme les Centaures, etc.*

Au commencement ont été reliés 32 *feuillets en papier, qui sont la copie du manuscrit, de la main de Pierre Pithou. Cette copie offre cela de très-remarquable que l'on y voit en même temps la distribution par vers, les leçons du manuscrit, les corrections et tâtonnemens de Pithou,*

et ses observations en français pour le prote. Ainsi cette seule copie renferme tout le travail de son édition. Une aussi brillante facilité explique les immenses travaux de quelques savants de cette époque. Elle démontre aussi la fausseté de plusieurs idées que l'on s'était formées sur le manuscrit, d'après l'édition de Pithou, qui est la réproduction fidèle non pas du manuscrit, mais de cette copie.

Praeterea Berger docet, in codicis contextu nullas conspici lacunas, ne in illis quidem locis, quos Pithoeus in editione principe asteriscis notaverit, neque post extremam paginam amplius abscissi ejusque sequentis proxime folii vestigia, quae Pithoeus animadvertit, exstare. Folium illud vacuum fuisse vel inde apparere, quod librarius in extrema illa pagina, ut totam compleret, verba distractius exaraverit; eum adeo, ut hoc assequeretur, exitum duarum linearum in fabula paenultima extremarum et postremae in ultima inanem reliquisse, id quod alias nusquam fecerit. Tractatum brevem de monstris, qui fabulas excipiat, integrum videri. Librarium fortasse tractatum describere prius instituisse, quam fabulas absolveret, relicto, quod satis putaret, spatio. His deinde absolutis folium vacuum superfuisse, idque postea ut inutile rescissum. Sine dubio denique ab opifice, qui Pithoeanum fabularum exemplum et codicem ipsum eodem involucro compingeret, reliquias penitus sublatas esse. Hinc posse concludi, neque in archetypo praeterea fabularum quidquam fuisse. Quod autem Schwabio, v. cl., videantur in folio abscisso eadem scripta fuisse verba, quae fuerint in codice Remensi post libr. V. fab. X. — P h a e d r i A u g. l i b e r t i L i b e r q u i n t u s e x p l i c i t — id propterea non esse probabile, quod divisio in quinque libros, confirmata quidem cod. Remensi, Pithoei sit emendatio, neque illa verba in subsequentis folii initio poni soleant.

Codicem hunc praestantissimum unde acceperit Franciscus Pithoeus, ignoratur. Ab eo repertum Petr. Pithoeus, primus Phaedri editor, in dedicatione ad Franciscum P. fratrem dicit idemque in fine libelli, p.69, codicem suum vocat: vet. ex. Cat., quod interpretatur Orellius aut vetus exemplar Catalaunense aut vetus exemplar Catuacense id est, Duacense. Felic. Adryo [3]) e bibliotheca copiosissima monasterii Floriacensis St. Benedicti ad Ligerim, a Calvinistis an. 1562 dissipata per hominem, qui latere cuperet, in manus videtur venisse Pithoeorum, qui de ejus, qui antea possideret, nomine altum tenuerint silentium. Egregium hoc antiquitatis monumentum in patrimonio ad gentem Peleterianam pervenit, atque nunc asservatur in bibl. Lud. Lepeletier de Rozambo, marchionis et paris Franciae. [4])

Ex hoc codice Petrus Pithoeus editionem principem adornavit. [5]) Eodem deinde usi sunt Nic. Rigaltius [6]), Bongarsius [7]), Gabr. Brotier. [8]) Accurate nuper editus

---

[3]) Quae de codd. Phaedr. historia disputata sunt ab Adryo, repetiit Schwabius in Phaedri edit. Vol. I. p. 583 seqq.

[4]) Hunc codicem nuper rumor erat inter libros manuscriptos bibliothecae Rosnyanae auctione praedicata vendendos habitum sed ante auctionem factam retractum esse, (retiré de la vente).

[5]) Phaedri, Augusti Liberti, Fabularum Aesopiarum Libri V. Nunc primum in lucem editi. Augustobonae Tricassium. Excudebat Jo. Odotius. Typographus Regius. Anno CIↃIↃXCVI. Cum privilegio. 12. pagg. 70.

[6]) Phaedri, Aug. Lib. Fabb. Aes. Libri V. ex recensione Nic. Rigaltii. Paris. 1599. 12. Sec. ed. anno 1617, tertia 1630 prodiit.

[7]) Bernense editionis princ. exemplar a capite ad calcem a Bongarsio cum ipso cod. Pithoeano collatum sedulo excussit Casp. Orellius. Conf. ej. ed. p. 25.

[8]) Phaedri Aug. Lib. Fabular. Libri V. Cum Notis et Supplement. Gabr. Brotier. Accesserunt Parallelae Jo. de la Fontaine. Paris. typis J. Barbou. 1783. 8. c. figg.

est a Jul. Bergero. Asservatur exemplar editionis princ. Parisiis in bibliotheca regia, quod continet varietatem scripturae e cod. Pith. et Rem. notatam, quam Pithoei aetate manu hominis docti scriptam putat Berger, sed quod doleas, non exhibuit. Gudium autem non usum esse codice Pith., Orellius [9]) breviter et aperte demonstravit.

CODEX REMENSIS.

Codex Remensis Pithoeano adeo similis, ut hic ex illo vel uterque ex eodem archetypo videatur descriptus esse, anno 1774 bibliotheca St. Remi incendio deleta igne absumtus est. Scripturae specimen inde a Dom le Vacher, bibliothecae illius praefecto, excerptum servavit Pluche abbas. [1]) Id eodem seculo, quo Pithoeanum, codicem scriptum fuisse satis luculenter docet. Paullo tamen antiquiorem quam illum fuisse et fabulas majori diligentia exaratas continuisse, ex eo intelligitur, quod complura, quae in Pith. prorsus corrupta sunt, nonnisi e scriptura Rem. levius affecta explicari possunt. Ex hoc codice Jac. Sirmondus, quum e Lotharingia rediens Remos venisset, scripturae varietatem ad editionem Pithoeanam enotavit, eaque usus est Rigaltius in edit. Phaedr. an. 1617 repetita. Multa Gudius quoque

---

[9]) Pithoeano codice, inquit, neutiquam usus est Gudius, cujus ipsius verba satis ab hac opinione removere debebant editores: pag. 35. *Crocodilis*] Ms. Remensis habet *Corcodilis*, neque aliter in Pithoei vetustissimo libro fuisse notavit in excerptis variarum lectionum editionis suae editis. Et pag. 39. „Pithoeus edidit *Et dolos*, fortasse librum suum secutus." pag. 70. „Nescio an ex Ms. suo Pithoeus edidit: *egressa e cavo.*" Quod si ipse Pithoeanum Cd. inspexisset, nunquam tam dubitanter locutus esset.

[1]) Spectacle de la Nature par Pluche T. VII. pl. XXI. pag. 244. Specimen hoc accurate reddendum curavit Sam. Schwabius in Seebodii Neu. Archiv. Jahrg. 2. (1827) Heft 3. p. 1.

ex hoc ms. excerpserat.[2]) Postremus contulit cod. R. ad edit. Parisiensem apud viduam Brocas 1743 in 12. D. Vincentius, margini inscripsit lectionis diversitatem, et bibliothecae regiae Paris. misit custodi, ubi editio illa cum epistola Vincentii ad custodem missa etiamnunc servatur.[3]) Haec tamen Vincentii opera in pluribus locis inutilis fuit propterea, quod editionem mutilatam adhibuit atque adeo libri primi prologum, fabulam primam et secundam usque ad versum 14 conferre oscitanter praetermisit. Vincentii manu usus est Brotier, eamque accurate descriptam contextui cod. Pith. praemisit Berger. Quod autem correctiones a secunda manu in cod. Remensi factas attinet, eae pleraeque ex Pithoei et Rigaltii editionibus profectae videntur.

---

[2]) Marquardi Gudii, quem Phaedri editionem molientem mors praematura absumsit, schedis a Georg. Graevio auctus Burmannus novam cum commentariis Gudii et Heinsii et notis aliorum instruxit an. 1698, quam an. 1718 auctiorem edidit, aliquoties deinde repetitam.

[3]) Epistola, cujus involucrum cum inscriptione interiit, haec est:

Monsieur,

Aussitôt mon arrivée, je me suis fait un véritable plaisir de tenir ma parole. Je vous envoye le texte de notre Phèdre, avec les fautes e les bérues de notre copiste. A sa façon d'écrire vous jugerez aisément qu'il avoit sous les yeux un manuscrit ancien. Ainsi, par exemple, donnant au c *le son du* q, *et mettant des* o *pour des* u, *il a écrit* qui*ou* qoi, quoi *pour* cui: *ainsi il dit* intellego *pour* intelligo *etc.*, ingrabantibus *pour* ingravantibus, *etc. J'avais jugé par le caractère, que notre manuscrit devait être de la fin du VIIe siècle ou du commencement du suivant. J'en envoyai un spécimen à M. de Foncemagne. Je crus même qu'il ne serait pas inutile d'en donner une courte notice ainsi que de* l'Aulularia *qui y étoit jointe. Elle se trouve dans l'almanach de Reims,* 1774.

Je suis avec respect, Monsieur etc.

L. X. Vincent.

St. Remi de Reims, le 6. Octobre 76.

VETUS DANIELIS CHARTULA.

Id nomen habet fragmentum vetustum, quod e vastitate, quam Floriacensi S. Benedicti coenobio ad Ligerim, an. 1562 Calvinistae intulerunt, Petrus Daniel, Abbatiae illius praetor, sibi vindicavit; mox idem Paullo Petavio, senatori Parisiensi obvenit; hinc codex Petavianus, chartula Petaviana appellatum. Hoc deinde mortuo cum aliis ejusdem libris emit Christina Sueca, a qua adeptum est nomen schedarum regiarum. Regina utendum commisit Joanni Vossio, a quo vocarunt cod. Vossianum. Denique post reginae obitum cum ceteris ejus codicibus in bibl. Vaticana collocatum est, ubi etiamnunc asservatur.

Codex ipse ab Angelo Maio, V. Cl. ita describitur.[1]) „Est is miscelli generis codex: nam primum occurrit Guidonis[2]) musica seculo XI. vel XII. scripta; ita ut hoc exemplar aetati ipsius auctoris suppar sit. Posterior codicis pars Romanense poëma copiosum atque vetustum continet. Medio autem codice quaternio inseritur paginarum octo, quarum tres priores FABULIS OCTO PHAEDRI occupantur; quarta pagina, id est, versa secundi folii, piam Hincmari precationem habet; in sexta et septima psalmus legitur, cujus initium inclina Domine aurem tuam, isque etiam Graece ibidem, litteris tamen Latinis, conscribitur. Octava demum nil fere habet praeter verba haec: hic est liber S. Bene-

[1]) Classicor. auctor. e Vaticanis codd. editor. Tom. III. Curante Ang. Maio. 8. Romae, typis Vaticanis 1831. pag. 307 sqq.

[2]) Augensis bis in hoc cod. Guido vocatur, non Arretinus. Unica Arretinis Guidonem civem largita esse Maio videtur auctoritas Sigeberti, ut qui idcirco fortasse Arretinum dixerit Guidonem, quia hic opus suum episcopo Arretino Theobaldo inscripsit.

dicti Floriacensis, quem si quis furatus fuerit, vel aliquid (malo) ingenio tulerit, anathema sit. Porro hic etiam codex cum aliis multis, Lutetiam a victoribus Gallis nostra aetate translatus fuerat. — Fragmentum habet octo [3]) fabulas et quidem ea ratione in membranis scriptas, ut nihil inde subtrahi unquam potuerit." Exhibuit deinde Maius fragmentum totum lectoribus, ita ut ejus editio instar sit codicis. [4])

CODEX NEAPOLITANUS ET COD. VATICANUS.

De his quoque codicibus audiamus Angelum Maium. „Nicolai Perrotti, inquit [1]), pontificis Sipontini, perdocti clarique hominis, iamdiu codex innotuerat, in quo ineditas fabulas, cum Phaedri Avianique editis, et cum ipsius Perotti carminibus mixtas, Dorvillius quondam detexit, Burmannus famigeravit, [2]) alii deinde eruditi

---

[3]) Sunt illae in hac editione libri I. fabb. XI. XII. XIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII.

[4]) Omnia, quae de hoc codice tradidit Maius, et scripturae, quam fragmentum exhibet, varietatem primus cum Germanis communicavit Casp. Orell. in Editionis suae supplemento, quod inscribitur: Phaedri Fabulae novae XXXII e codice Vaticano redintegratae ab Angelo Maio. Tur. 1832.

[1]) In libro Orellii laudato pag. 4, seqq.

[2]) „Tandem excerpta Philippi Dorvillii, inquit Burmannus in praefatione ad Phaedri editionem an. 1727, ad me cursus publici ope (ex Italia) adferuntur: quorum conspectus licet non meritum amici industrii, laetitiam tamen antea conceptam non parum imminuebat. Corruptum enim non modo longa aetate codicem, sed mutilatum et viciatum offerebat menti, et summa cum cura et superstitiosa diligentia excerptae scripturae facies me commovebat. Initio et fine vacuas reliquerat Perottus paginas aliquot, destinatas pluribus etiam a se conscribendis fabulis, et earum indici subinde augendo. Atramenti vero quodam genere fuerat usus, quod

homines passim commemorarunt. Erat is codex Parmae olim in librario Farnesiorum thesauro; ex qua urbe

---

aevum ferre non posset, sed quo expressae olim literae partim in viridem colorem abierant, partim exoletae ita plane evanuerant, ut legi omnino non possent. Praeterea parum diligenter servatus codex ex aqua, forte per rimas tecti destillante, vel alio humore, vitium contraxerat ita, ut media magnam partem chartae area vel nullas vel evanescentes literas ostenderet. — Inscripsit has fabulas Perottus T. M. Veltrio Viterbiensi, quem concivem suum vocat. — Ex praefatione vero apparet, has fabellas immixtis aliis carminibus ab adolescente in chartas conjici coeptas, deinde vero seniorem eas edere constituisse: sed vix dimidia praefationis pars legi poterat. Post praefationem sequebatur: NICOLAI PEROTTI *Pontificis Sypontini Epitome Fabellarum ad* PYRRHUM PEROTTUM *fratris filium. Index incipit feliciter;* qui continebat inscriptiones vel titulos ante ipsas fabulas in codice positos, in quibus hoc animadverti, *Perottum* omnia, sive Promythia, sive Epimythia abjecisse, sed ex illis argumenta fabularum conflasse, et ipsis praeposuisse titulos sermone plane pedestri, sed in quibus saepe vestigia Phaedrianorum versuum deprehenduntur. Deinde relictum erat spatium, in quod plures fabellas referre posset, si quas forte postea componeret: nam ab adolescentia usque ad aetatem maturiorem, subinde recurrebat ad hoc opus. Sequebatur titulus ipsius operis: NICOLAI PEROTTI *Epitome fabularum Aesopi, Avieni et Phaedri, ad Pyrrhum Perottum Fratris filium, Adolescentem suavissimum. Incipit feliciter.* Tunc ipsa ad hunc Pyrrhum praefatio, et haec mutilata, sed quae aperte tamen ostendit, Perottum habuisse Phaedri nostri codicem, unde sibi furatum plurima, et metri fuisse non admodum peritum, nobis Phaedrum ipsum jam habentibus, se prodit. — Hinc sequebatur fabula de Vulpe et Simia. — Porro ad Lectorem iterum adlegat tria disticha Elegiaci carminis, et deinceps partem minorem fabulas, aut ex Phaedro et Avieno nobis cognitas, aut ex suo codice vel aliunde translatas, interjectis etiam epigrammatibus ad varios, continet: ut exempli gratia ad Amicum, qui calculorum ludo ab eo victus anseres duos cum pullis anniculis miserat, Epigramma, quo anseres illi loquuntur;

Neapolim hereditario jure translatus, in regia bibliotheca delituit, donec eam Cl. Johannes Andresius loci praeses iterum observavit, atque ut publici demum juris fieret, magnopere hortatus est. Hinc doctissimorum ejus urbis virorum exarsere animi, quos inter palmam sine dubio tulit vir clarissimus Cataldus Jannellius, qui concinnatis ad Perottinum codicem peramplis lucubrationibus, praeclaram ejus editionem bis curavit; et primo quidem an. 1809. novas fabulas plurimis cum lacunis (propter codicem valde evanidum et vitiatum, lectionique saepe impervium) nobis obtulit; iterum vero an. 1811. lacunas partim codice patientius lecto, partim coniecturis suis permultas explevit[3]). Quaenam fuerint doctorum per Europam virorum de his fabulis, postquam divulgatae sunt, judicia, referre non vacat; eaque satis cognoscere licet vel in nobili Phaedri editione, quam Parisiis anno 1826. duobus justae molis voluminibus elaboravit Vir Cl. Nicolaus Lemaerius. Mihi hoc unum propositum est, ut et Farnesianum olim, nunc Neapolitanum,

---

deinde Epigramma ad Adrianum Contrarium Venetum, de divitiis et paupertate; Jocus ad Theodorum impudicissimus, nec sane dignus Episcopo; praeterea Epigramma ad Nicolaum V. Pontificem, Apostropha ad Urbem Viterbium, et alia quaedam inserta leguntur. — Triginta fere in illo codice ex Phaedro, ut nunc habemus, descriptas deprehendi fabulas: nullam vero ex libro primo, sed ex quatuor ultimis quasdam," quas deinde Burmannus ordine suo recensuit et, si quid varietatis occurreret, adnotavit breviter. Ea varietate usi sunt Schwabius, Brotier, alii.

[3]) De primis harum fabularum editoribus deque controversia, quae inter Ant. Cassitum et Cataldum Jannellium fuit de primo inventore, conf. L. A. Schweigeri Handbuch der classischen Bibliographie. Leipz. 1834. T. II. p. 746 sq. et auctores ibidem laudatos. Ad exemplar Dorvillianum in Germania primum edendas curavit Car. Abr. Eichstadius adjunctis Dorvillii et Burmanni emendationibus Jenae an. 1812. Dr.

codicem haud unicum in orbe esse, quod hactenus creditum fuit, demonstrem; et alio melioris multo naturae invento, lacunas omnes prioris codicis haud jam ulla coniectura vel ingenio, sed ipsa genuinae lectionis veritate sartas exhibeam.

Est hic codex, qui Perottinam Phaedri Avianique epitomen aeque ac Neapolitanus continet, a me nuper observatus inter Vaticanos-Urbinates n. 368. in fol. speciosissima calligraphia in membranis scriptus, cum auri variorumque colorum in fronte ornatibus, quibus genii, flores, volucres, beluaeque exprimuntur. Primo autem in folio septem ornatissimi circuli effigiantur, quorum medius ac maximus sic aureis caeruleisque literis loquitur: *in hoc pulcherrimo codice continentur nonnulli poëtae Latini juniores, qui in circumpictis circulis sunt annotati.* In his autem circulis legitur 1. *Christophori Landini Xandra.* 2. *Callimachi* (Veneti scilicet) *epigrammata.* 3. *NICOLAI PEROTTI EPIGRAMMATA ET FABULAE.* 4. *Antonii Panormitae Hermaphroditus.* 5. *Bartholomaei Contradae ecloga.* 6. *Francisci Patritii ecloga.* 7. *Marasii Siculi elegiae.* Jam vero omissis poëtis ceteris, qui ad rem meam non pertinent, pars illa codicis, quae Perottinam habet epitomen, incipit fol. 100. desinitque fol. 146.

Ordo epitomes ipsissimus est, qui Neapolitani codicis a Cl. Jannellio (in priore editione dissert. I. p. VIII. seqq.) narratur; epistola nimirum Perotti prosaica ad Mannum Viterbiensem; index carminum: prologus Perotti poëticus ad Pyrrhum fratris filium; fabulae Phaedri et Avieni, fabulae novae, versus etiam ipsius Perotti; omnia haec alternatim miroque cinno inter se permixta. Denique et illa adnotatio adest de prisco quodam oraculo, quam Jannellius in Neapol. codicis

margine scriptam reperit atque vulgavit. Porro et ipse Vaticani-Urbinatis codicis textus adeo plerumque cum Neapolitano conspirat, ut ex uno eodemque exemplari manasse utrumque codicem necesse sit. Neque enim quum *Perottinus* dicitur ille codex, qui Neapoli est, idcirco is Perotti autographum vel saltem κτῆμα credendus est; verum ille eatenus *Perottinus* audit, quatenus habet Perotti lucubrationem; quamobrem pari jure *Perottini* nunc dicentur tum Neapolitanus chartaceus et vitiatissimus, tum Vaticanus membraneus atque integerrimus: de cujus aetate si quis me roget, ego scriptum judico vel desinente seculo XV. vel initio subsequentis. Nam quod Federicus Veteranus Urbinas bibliothecarius anno 1517. in calce codicis epigramma de morte domini sui scribit, id manu prorsus diversa et paululum etiam recentiore exaratum esse patet.

Nunc ecce propositi mei summam. Codicis Vaticani-Urbinatis eam partem edo, quae novas fabulas sub Phaedri nomine divulgatas continet: et quia hic codex perincolumis pancraticusque est, cuncta Neapolitani vitia luxaturasque demum persano: ita ut novae fabulae hac certe in parte vetustis non cedant, quod haud minus commode valent.

NICOLAUS PEROTTUS

PONTIFEX SIPONTINUS

TITO MANNO[4]) VELTRIO

VITERBIENSI CONCIVI SUO S. P. D.

Quod post epistolas nostras, quas tanto studio collegisti, versiculos etiam nostros collegeris, et in libellum

[4]) Ita perspicue et per extensum in Cod. Vat. At editio Neap. *Marino*. Sed enim codex ipse Neap. mihi ad legendum comiter oblatus, vel *Manno* exhibet, vel propter obscuritatem tute legi non potest. MAI.

disposueris, ago tibi immortales gratias. Intelligo enim, quanti nostra omnia facias, quam nos ames, quantum laudi et gloriae nostrae consulas. Sed providendum tibi est, ne cujus immortalitati tantopere studes, ejus praesenti existimationi non mediocriter detrahas. Sunt enim, ut ad te alias de epistolis scripsi, inter versiculos nostros aliqui, quos olim adolescentes lusimus, qui si hac aetate et professione nostra scripti a nobis viderentur, jure fortasse reprehensione digni putaremur: relati vero ad eam aetatem, nihil quo culpari possemus,[5]) haberent. Permissa quippe jamdiu est haec ludendi licentia non modo adolescentibus, sed etiam gravioribus poëtis; quamquam a nobis ob pontificatus dignitatem aliena fortasse posset existimari. Da igitur operam, ut intelligant legentes, quae adolescentibus nobis et nulla adhuc dignitate praeditis exciderint, quae hac aetate scripta sint. Verum nisi me animus fallit, longe plura in his erunt, quae laudari merito possint, quam quae sine livoris suspicione reprehendi: quemadmodum ex ipsis[6]) contemplari quisque facile poterit. Vale et me, ut facis, ama.

NICOLAI PEROTTI
AD PYRRHUM NEPOTEM
PROLOGUS.

Non sunt hi mei, quos putas, versiculi;
Sed Aesopi sunt, Avieni et Phaedri:
Quos collegi, ut essent, Pyrrhe, utiles tibi,
Tuaque causa legeret posteritas,

[5]) Cod. *posses*. MAI.

[6]) Ed. Neap. *ex ipso me*, quod prorsus non placet. In Cod. Vat. deest *me*. Itaque ego scripsi *ipsis* (nempe carminibus) pro *ipso*, quod legitur in Codice Vat. MAI. An *ex se ipso?* OR.

Quas edidissent viri docti, fabulas.
Honori et meritis dicavi illos tuis,
Saepe versiculos interponens meos,
Quasdam tuis quasi insidias auribus;
Solet quippe juvare ista varietas.
Hos si leges, laetabor: sin autem minus,
Habebunt certe quo se oblectent posteri.
Nunc fabularum cur sit inventum genus,
Brevi docebo: servitus obnoxia,
Quia quae volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit
Calumniamque fictis elusit jocis.
Redeo unde discessi ad libellum meum.
Hunc obtrectare si volet malignitas,
Imitari dum non possit, obtrectet licet:
Mihi magna laus est, quod tu, quod similes tui
Labores libenter legant usque meos,
Dignosque longa judicent memoria.
Semper fugatae plus vetustati favet
Invidia mordax quam bonis praesentibus.“ 7)

His deinde Maius Phaedri fabulas, quas vocant, novas ipsas subjunxit, fabulas vero dudum notas et a Perotto Eclogis suis insertas conferre cum editionibus praetermisit.

Praeter eos, qui codicibus manu scriptis usi sunt ad Phaedri fabulas recensendas, in primis ad eas aut emendandas aut explicandas contulerunt Conr. Rittershusius, Nic. Neveletus, Joh. Meursius, Tanaq. Faber, Joh. Scheffer, Franc. Guyetus, Nic. Heinsius, Marq. Gudius, Pet. Burmannus, Fr. Gronovius et Jac. Gronovius, Gotofr. Richter, Rich. Bentlejus, Mich. Heusinger,

7) Haec omnia simul cum fabulis repetiit Orellius in editionis suae supplemento.

Alex. Cuninghamus, Nic. Funccius, Gabr. Brotier, Jos. Desbillonius, H. Tzschuckius, B. Gail, Wil. Langius, Henr. Bothius et alii, quorum vel editionibus vel commentariis usus Sam. Schwabius adornavit fabularum editionem locupletissimam et praestantissimam, quae prodiit Brunsv. anno 1806. Cum Desbillonii notis nondum vulgatis et variarum lectionum delectu Stuttg. an. 1828 fabulas edidit Car. Zellius et post Bergeri curam novis subsidiis comparatis primam editionem criticam cum integra varietate codd. Pithoeani, Remensis, Danielini, Perottini et editionis principis, reliqua vero selecta exhibuit Casp. Orellius, Turici 1831, cui libro insigni anno insequenti accessit supplementum.

Scripturae compendia, quibus usus sum, haec sunt:

P. = Codex Pithoeanus.

R. = Codex Remensis, i. e. ea script. varietas, quam huic libro Sirmondus, Gudius et Vincentius tribuunt.

Gud. = Varietas a Gudio solo hac nota insignita: *Ms.*, quem librum non alium atque Remensem esse demonstravit Casp. Orellius.

D. = Vetus Danielis chartula.

N. = Codex Neapolitanus, sive Codex Nic. Perotti a Phil. Dorvillio in Italia repertus.

V. = Codex Vaticanus, alter cod. Perottinus, quem in Bibliotheca Vaticana invenit. Ang. Maius.

A. = Anonymus Nilantii.

Rom. Div. (Ulm.) = Romulus Divionensis (Ulmensis).

Vinc. et Vinc. Bell. = Vincentius Bellovacensis.

PHAEDRI AUGUSTI LIBERTI

FABULARUM AESOPIARUM

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

Aesopus auctor quam materiam repperit,
Hanc ego polivi versibus senariis.
Duplex libelli dos est: quod risum movet
Et quod prudentis vitam consilio monet.
Calumniari si quis autem voluerit,
Quod arbores loquantur, non tantum ferae,
Fictis jocari nos meminerit fabulis.

I. LUPUS ET AGNUS.

Ad rivum eundem lupus et agnus venerant
Siti compulsi: superior stabat lupus
Longeque inferior agnus. Tunc fauce improba
Latro incitatus jurgii causam intulit.

Lib. I. index. *Phaedri*] — *Fedri* P. *Prologus*] Hic index et fabularum numeri in codicibus non inveniuntur. Fabularum indices e Cd. P. sumti sunt. Vers. 2) *senareis* P. Emendavit Pith. 3) *dos*] R. In P. *mos*, cui litteram *m* additam esse posterius, testatur Berger. 4) *prudenti* conj. Bongars.

FAB. I. 2) *conpulsi* P. sic fere semper, ut *inprudens* cett. 3) *fauce*] R. A. Etiam Rom. in eadem fab. sub finem scripsit: *improba fauce dixit.* — *face* P. — *fame* conj.

Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Aquam bibenti? Laniger contra timens:
Qui possum, quaeso, facere, quod quereris, lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus:
Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi.
Respondit agnus: Equidem natus non eram.
Pater hercule tuus, inquit, male dixit mihi.
Atque ita correptum lacerat injusta nece.
Haec propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis causis innocentes opprimunt.

II. RANAE REGEM PETIERUNT.

Athenae quum florerent aequis legibus,
Procax libertas civitatem miscuit
Frenumque solvit pristinum licentia.
Hîc conspiratis factionum partibus
Arcem tyrannus occupat Pisistratus.
Quum tristem servitutem flerent Attici,
(Non quia crudelis ille, sed quoniam grave
Omne insuëtis onus) et coepissent queri,
Aesopus talem tum fabellam rettulit.

Rittershus. 5) *Quur inquit* P. — *fecisti mihi*] A. — *mihi fecisti* P. — *mihi fecisti aquam Istam b.* Pith. e conj. 7) *queris* P. Gud. Em. Pith. 10) *ait male* P. R. Em. Gud. 12) *hercle* P. Emend. Rigalt.

FAB. II. *RANE* P. ita pro *ae* finali fere semper *e*. 1) *quum*. In P. ubivis *cum*, non *quum*; in R. saepe *quum*. 4) *Hîc*] P. R. hic teste Gud. — *Hinc* conj. Pith. 8) In P. est pro *Omne: Omnino*, quod e geminatione litt. prior. vocabuli *insuëtis* ortum videtur. Heinsius primus scripsit *Omne insuëtis*, quod probandum duxi propter lib. III. prol. 14 et lib. IV. 8, 7. — *onus*) et] „Codex primum *onus e*; deinde correctum *onus est et*, linea imposita in *e*, ut librariis mos est, adjectaque voce *et*. Pithoeus omittit *est*.“

Ranae vagantes liberis paludibus
Calmore magno regem petiere a Jove,
Qui dissolutos mores vi compesceret.
Pater deorum risit atque illis dedit
Parvum tigillum, missum quod subito vadi
Motu sonoque terruit pavidum genus.
Hoc mersum limo quum jaceret diutius,
Forte una tacite profert e stagno caput
Et explorato rege cunctas evocat.
Illae timore posito certatim adnatant
Lignumque supra turba petulans insilit.
Quod quum inquinassent omni contumelia,
Alium rogantes regem misere ad Jovem,
Inutilis quoniam esset qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
Corripere coepit singulas. Frustra necem
Fugitant inertes: vocem praecludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem,
Adflictis ut succurrat. Tunc contra deus:
Quia noluistis vestrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte. Vos quoque, o cives, ait,
Hoc sustinete, majus ne veniat malum.

III. GRACULUS SUPERBUS ET PAVO.

Ne gloriari libeat alienis bonis
Suoque potius habitu vitam degere,
Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani graculus superbia,
Pennas pavoni quae deciderant sustulit
Seque exornavit. Deinde contemnens suos

Berger. 12) *ut compesceret* P. R. Emend. Pith. 14) *vadi*] P. R. — *levi* A. 16) *Mersae limo quum laterent diutius* A. 18) *advocat* A. 20) *super* P. Emend. Pith. 30) Post *quoque* Bongars. metri causa addidit *o*.

Fab. III. 2) *suis quin potius vivere malle* A. 5) *pavonum* A. 7) *Immiscuit se*] *Immiscuit* hic est trisyllabum.

Immiscuit se pavonum formoso gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi
Fugantque rostris. Male mulcatus graculus
Redire maerens coepit ad proprium genus;
A quo repulsus tristem sustinuit notam.
Tum quidam ex illis, quos prius despexerat:
Contentus nostris si fuisses sedibus
Et quod natura dederat voluisses pati,
Nec illam expertus esses contumeliam
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

IV. CANIS PER FLUVIUM CARNEM FERENS.

Amittit merito proprium qui alienum adpetit.
Canis per flumen carnem dum ferret natans,
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum
Aliamque praedam ab alio cane ferri putans
Eripere voluit: verum decepta aviditas
Et quem tenebat ore dimisit cibum,
Nec quem petebat potuit dente attingere.

V. VACCA ET CAPELLA, OVIS ET LEO.

Nunquam est fidelis cum potente societas:
Testatur haec fabella propositum meum.

Quae licentia quum non toleranda videretur, Bong. et Heins. legerunt: *Se immiscuit*, Marcilius et Bentl. *Immiscet se.* Sed nihil mutandum est. — *miscuit se* A. Rom. 9) *mulcatus*] Ita R. teste Gud. In P. et A. est *multatus.* 11) *repulsae* conj. Tollius.

Fab. IV. 2) *dum*] P. R. — *quum* A. 4) *ab alio ferri* P. *cane* quod metro requiritur, a librariis omissum reposuit Bentl. — *alteramque praedam ab altero ferri* A. 7) *potuit dente*] Ita legendum suspicatus est Orell. V. Cl. ex An. verbis: *non potuit vel extremo tangere dente.* In codd. haec sunt: *adeo potuit attingere.*

Vacca et capella et patiens ovis injuriae
Socii fuere cum leone in saltibus.
Hi quum cepissent cervum vasti corporis,
Sic est locutus, partibus factis, leo:
Ego primam tollo, nominor quoniam leo;
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;
Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia;
Malo adficietur, si quis quartam tetigerit.
Sic totam praedam sola improbitas abstulit.

VI. RANAE AD SOLEM.

Vicini furis celebres vidit nuptias
Aesopus et continuo narrare incipit:
Uxorem quondam Sol quum vellet ducere,
Clamorem ranae sustulere ad sidera.
Convicio permotus quaerit Juppiter
Causam querelae. Quaedam tum stagni incola,
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus
Cogitque miseras arida sede emori.
Quidnam futurum est, si crearit liberos?

VII. VULPES AD PERSONAM TRAGICAM.

Personam tragicam forte vulpes viderat:
O quanta species, inquit, cerebrum non habet!
Hoc illis dictum est, quibus honorem et gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

Fab. V. 5) *coepissent* P. 7) *quoniam leo*] Ex em. Cuningh. — *quia leo* P. R. — *quoniam nominor l.* conj. Richt.

Fab. VI. 3) *Sol quum vellet*] P. a pr. m. R. — *Solem velle* P. ex correctione. 5) *comvitio* P. 8) *cogetque* P. R. Em. Pith. 9) *crearet* P. R., Em. Pith.

Fab. VII. 1) *vulpes*] Sic jam Or., quum alicubi (conf. I. 13, 5 et 11) haec forma a metro requiratur, pro *vulpis* P. R., ubique scripsit.

VIII. LUPUS ET GRUIS.

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
Bis peccat: primum quoniam indignos adjuvat;
Impune abire deinde quia jam non potest.
Os devoratum fauce quum haereret lupi,
Magno dolore victus coepit singulos
Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem persuasa est jure jurando gruis,
Gulaeque credens colli longitudinem,
Periculosam fecit medicinam lupo.
A quo quum pactum flagitaret praemium,
Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput
Incolume abstuleris et mercedem postules.

IX. PASSER AD LEPOREM CONSILIATOR.

Sibi non cavere et aliis consilium dare
Stultum esse paucis ostendamus versibus.
Oppressum ab aquila et fletus edentem graves
Leporem objurgabat passer: Ubi pernicitas
Nota, inquit, illa est? Quid ita cessarunt pedes?
Dum loquitur, ipsum accipiter nec opinum rapit
Questuque vano clamitantem interficit.
Lepus semianimus: Mortis en solatium!
Qui modo securus nostra inridebas mala,
Simili querela fata deploras tua.

Fab. VIII. 2) *quoniam dignos* P. R. Em. Pith. 10) *A quo quum pactum*] A. — *Pro quo cum factu* P. Rem. Gud. teste *factum* exhibet. — *Pro quo cum facto* conj. Pith. 12) *extuleris* A. — *postulas* P. R. Em. Rittersh.

Fab. IX. 3) et *fletus edentem*] Ita scripsi ex A verbis: *et fletus dantem.* — *fletus edentem* R. *fletussedens* P. (ex correctione) praeter consuetudinem poëtae copula omissa. 8) *Mortis en solatium*] — Sanad. emendatio comprobata ab Or. V. Cl. — *Et lepus: Solatium, quod* etc. A. — *mortis in solatio* P. R.

X. LUPUS ET VULPES JUDICE SIMIO.

Quicunque turpi fraude semel innotuit,
Etiam si verum dicit, amittit fidem.
Hoc adtestatur brevis Aesopi fabula.
Lupus arguebat vulpem furti crimine:
Negabat illa se esse culpae proximam.
Tunc judex inter illos sedit simius.
Uterque causam quum perorassent suam,
Dixisse fertur simius sententiam:
Tu non videris perdidisse quod petis;
Te credo subripuisse, quod pulchre negas.

XI. ASINUS ET LEO VENANTES.

Virtutis expers verbis jactans gloriam
Ignotos fallit, notis est derisui.
Venari asello comite quum vellet leo,
Contexit illum frutice et admonuit simul,
Ut insüeta voce terreret feras,
Fugientes ipse exciperet. Hîc auritulus
Clamorem subito totis tollit viribus
Novoque turbat bestias miraculo.
Quae dum paventes exitus notos petunt,
Leonis affliguntur horrendo impetu.

Fab. X. 4) *forti crimine* P. R. Em. Pith. 8) *sentiam* P. Em. Pith.

Fab. XI. In hac fab. incipit fragmentum Danielinum sic: PHAEDRI AUG. L. AESOPIARUM INCIPIT FELICITER. Sequitur statim fabula omisso tamen versu primo, „ideo puto, quia vel hic scriba librarius eum totum minio vel viridi colore exhibiturus erat, idque postea neglexit, vel idem jam acciderat in ἀρχετύπῳ, quod ante oculos habebat.“ Orell. pag. 33. 5) *Ut ille insueta* D. 6) *ipse exciperet* D. Post *ipse* P. et R. repetunt *ut*, quod metrum turbat. — *auriculus* P.D. Em. Rigalt. 7) *clamorem* „Ita emendatum in P. At prima lectio: *clamoret*“ Berg. — *totis tollit*] D. — *tollit totis* P. R. — 10) *affliguntur*] D. — *adficiuntur* P. R.

Qui, postquam caede fessus est, asinum evocat
Jubetque vocem premere. Tunc ille insolens:
Qualis videtur opera tibi vocis meae?
Insignis, inquit, sic ut, nisi nossem tuum
Animum genusque, simili fugissem metu.

XII. CERVUS AD FONTEM.

Laudatis utiliora, quae contempseris,
Saepe inveniri, haec testis erit narratio.
Ad fontem cervus, quum bibisset, restitit
Et in liquore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua.
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum subito vocibus conterritus
Per campum fugere coepit et cursu levi
Canes elusit. Silva tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus
Lacerari coepit morsibus saevis canum.
Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:
O me infelicem! qui nunc demum intellego,
Utilia mihi quam fuerint, quae despexeram,
Et, quae laudaram, quantum luctus habuerint.

---

11) *est* quod in P. et R. desideratur, addidit Pith. 13) *tibi videtur opera vocis meae* P. — *opera tibi videtur vocis meae* R. Salmas. num e D.? 14) *Sic, ut* in D. excidit. 15) *fugissem metu* D. — *fuissem in metu* P.

FAB. XII. Indici addit D.: LAUDAT CORNUA. 2) *testis* quod in P. et R. excidit, e D. addidi, ubi haec sunt: *Saepe esse utiliora quae contemseris, Ejus rei testis haec narratio est.* — *haec exserit n.* conj. Pith. 12) *dedisse vocem hanc* D. 14) *Utilia mihi quam fuerint*] D. — *Ut illa mihi quam profuerint* P. R. Sic uterque a pr. m.; sed in P. correctum *qua tum,* in R. *quam* deletum est. Hinc *Ut illa mihi profuerint* Pith. Rigalt. alii. Sed *utilia* etiam Rom.

XIII. VULPES ET CORVUS.

Qui se laudari gaudet verbis subdolis,
Sero dat poenas turpi poenitentia.
Quum de fenestra corvus raptum caseum
Comesse vellet, celsa residens arbore,
Vulpes hunc vidit, deinde sic coepit loqui:
O qui tuarum, corve, pennarum est nitor!
Quantum decoris corpore et vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
Emisit ore caseum, quem celeriter
Dolosa vulpes avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit corvi deceptus stupor.

Fab. XIII. 1) *Qui* P. R. — *Quae* D. — *gaudet* P. R. — *gaudent* D. A. 2) *Sero*] Sic scripsi. — *Fere* P. R. — *Serae dant poenas turpi poenitentiae* D. teste Maio. *Serae dant poenas turpi poenitentia* D. teste Rigalt. — *turpi poenitentia*] P. R. A. 5) *Vulpes hunc vidit*] Sic P. et R. nisi quod hic ut supra et infra *vulpis*. conf. Fab. VII. 1. — *Vulpes ut vidit* D. At supra et infra *vulpis*. *Vulpes* etiam est in Rom. Ulm. — *deinde*] D. — *dehinc* P. R. 6) *O quis* — — *pinnarum* D. 7) *decorem* D. 9) *At ille dum etiam vocem vult ost.* D. 10) *latiorem emisit* D. Sed *latiorem*, quod A. etiam habet, obelo expunctum est. 12) *Tunc demum ingemuit corvus cur dolosis fuisset deceptus fraudibus ut ignavus* D. — *Tunc demum corvus ingemuit, quia dolo esset deceptus, ut ignarus* A. — *Tunc corvus ingemuit, et stupore detentus deceptum se poenituit* Rom. Div. Huic fabulae in P. et R. subjiciuntur versiculi duo, qui ad finem fab. XV. a me rejecti sunt. Quos quum ad fabulam de vulpe et corvo non pertinere viderent viri docti, suppositios esse multi opinati sunt. Verum ex eo, quod alieno loco reperiuntur scripti, non efficitur, ut suppositii videantur, sed ut fabulam ad quam pertinuerunt, excidisse intelligas.

XIV. HOMO ET ARBORES.

Pereunt auxilium qui suis dant hostibus.
Facta securi quidam ab arboribus petît,
Manubrium ut darent e ligno, quod foret
Firmum. Jusserunt omnes oleastrum dari.
Accepit munus, aptata et manubrio
Bipenni coepit magna excidere robora.
Hic dum, quae vellet, eligebat, fraxino
Dixisse fertur quercus: Merito caedimur.

XV. CORNIX ASTUTA.

Ad urnam cornix sitiens semiplenam aquae
Accessit atque conata est evertere.
Sed quum videret stare fortem, calculos
In urnam misit, quorum multitudine
Aqua est porrecta sursum et satiavit sitim.
Hac re probatur quantum ingenium polleat;
Virtute semper praevalet sapientia.

XVI. EX SUTORE MEDICUS.

Malus quum sutor inopia deperditus
Medicinam ignoto facere coepisset loco
Et venditaret falso antidotum nomine,
Verbosis adquisivit sibi famam strophis.

FAB. XIV. Fabulam, in qua poëta arbores induxerit loquentes, hujus libri aliquam intercidisse quum e prologo discamus, lacunam hanc Phaedri apologo, qui apud A. est XLIV. explendam censui. 2) *securi*] Rom. A. — *bipenni* conj. Gud. 5) *aptata*] Rom. Ulm. A. et Vinc. — *aptans et manubrium Coepit securi* Gud. — 7) *quae voluit* Rom.

FAB. XV. Hujus fabulae in P. et R. nihil nisi epimythium extat; itaque argumentum aliunde fuit restituendum. Resarsit damnum Romulus fabula Phaedri servata, quae libri IV. est XIII. 6) *polleat*] Sic scripsi. — *valet* P. R.

FAB. XVI. 8) *Illius miscere antidoto*] R. — *Miscere illius anthidoto* P. 9) *combibere*] Em. Burm. — *bibere*

Hîc quum jaceret morbo confectus gravi,
Rex urbis, ejus experiendi gratia
Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua
Illius miscere antidoto se toxicum,
Ebibere jussit ipsum posito praemio.
Timore mortis ille tum confessus est
Non artis ulla medicae se prudentia,
Verum stupore vulgi factum nobilem.
Rex advocata concione haec edidit:
Quantae putatis esse vos dementiae,
Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commisit pedes?
  Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
Quorum stultitia quaestus impudentiae est.

XVII. ASINUS AD SENEM PASTOREM.

  In principatu commutando saepius
Nil praeter domini nomen mutant pauperes.
Id esse verum parva haec fabella indicat.
  Asellum in prato timidus pascebat senex.
Is hostium clamore subito territus
Suadebat asino fugere, ne possent capi.
At ille lentus: Quaeso, num binas mihi
Clitellas impositurum victorem putas?
Senex negavit. Ergo quid refert mea,
Cui serviam? clitellas dum portem meas.

P. R. 11) *medicae*] Ex emend. Gronov. — *medicum* P. R. 13) *edidit*] Ex em. Gronov. — *addidit* P. R. 16) *calcandos* P. 18) — *stultitia* — *impudentiae* est] Em. Ursin. — *stultitiae* — *inprudentia est* P. R.

Fab. XVII. 1) *commutando civium saepius* P. R.; *civium*, quod in R. a sec. m. deletum est, jam Pith. praetermisit. 2) *Nihil* P. R. — Em. Pith. — *nomen*] Em. Bongars. — *mores* P. R.

XVIII. OVIS, CERVUS ET LUPUS.

Fraudator homines quum advocat sponsum improbos,
Non rem expedire, sed mala vitare expedit.
Ovem rogabat cervus modium tritici
Lupo sponsore. At illa praemetuens dolum:
Rapere atque abire semper adsuevit lupus,
Tu de conspectu fugere veloci impetu:
Ubi vos requiram, quum dies advenerit?

XIX. OVIS, CANIS ET LUPUS.

Solent mendaces luere poenas malefici.
Calumniator ab ove quum peteret canis,
Quem commodasse panem se contenderet,
Lupus citatus testis non unum modo
Deberi dixit, verum adfirmavit decem.
Ovis damnata falso testimonio
Quod non debebat solvit. Post paucos dies
Bidens jacentem in fovea conspexit lupum:
Haec, inquit, merces fraudis a superis datur.

XX. MULIER PARTURIENS.

Nemo libenter recolit qui laesit locum.
Instante partu mulier actis mensibus

Fab. XVIII. 1) *Fraudator homines quum avocat sponsore improbo* P. R. Emendar. Desbill. et Orell. — *Fraudator nomen quum locat sponsu improbo.* (*sponsu* e conj. Rittersh.) Conj. Burm. 2) *mala vitare expedit*] Sic scripsi proxime ad P. et R. qui: *mala videre expedit* (R. a sec. m. expetit). — *mala ridere* Scheff. conj. — *malum dare expedit.* Conj. Gruter. 6) *Tu*] Em. Pith. — *Tum* P.

Fab. XIX. 1) *maleficii* P. R. D. Em. Heins. 3) *commodasse*] D. — *commendasse* P. R. solito in hac v. errore. 5) *debere* D. 8) *Bidens*] Em. Heins. — *videns* D. „Sed v confoditur in margine." Mai. — *ovis* P. R. e glossem. — *prospexit in fovea* D.

Fab. XX. 2) *actis*] D. Idem Meurs. conjecerat. — *peractis* P. 3) *humo*] P. Idem in R. videtur fuisse. —

Humo jacebat flebiles gemitus ciens.
Vir est hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus naturae melius quo deponeret.
Minime, inquit, illo posse confido loco
Malum finiri, quo conceptum est initio.

XXI. CANIS PARTURIENS.

Habent insidias hominis blanditiae mali:
Quas ut vitemus, versus subjecti monent.
Canis parturiens quum rogasset alteram,
Ut fetum in ejus tugurio deponeret,
Facile impetravit: deinde reposcenti locum
Preces admovit, tempus exorans breve,
Dum firmiores catulos posset ducere.
Hoc quoque consumpto flagitare validius
Cubile coepit. Si mihi et turbae meae
Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

XXII. CANES FAMELICI.

Stultum consilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.

---

humi D. — *gemitus conciens* Gud. sine dubio ex R. 5) *onus maturum* ingeniose conj. Heinsius; placuit Bentl. et Burm. „Sic l. IV. 26, 6. *materiae* corruptum est in *naturae*.“ Orell. 6) *inquit illa, posse* D. — *confido hoc loco* D. teste Heins. 7) *inicium* D.

Fab. XXI. 1) *Habentis* P. a pr. m. teste Berg.; idem Gud. (e R. opinor) affert, Vinc. tamen non commemorat. — *homines* P. Em. Pith. 4) *tugulio* D. 5) *deinde*] P. R. a pr. m. D.; „alterum *de* expungitur ab antiqua manu.“ Mai. — *dein* R. a sec. m. 6) *admonuit* P. R. D. Emend. Pith. 7) *posset catulos deducere.* D. 8) *flagitari* D. 9) *coepit. Si*] (R. a sec. m.) Salmasius. — *coepit illa. Si* P. R. a pr. m. *coepit. Illa: si* D.

Fab. XXII. 2) *mortalis* D. 5) *ebibere*] D. — *bibere* P. (R.) — *lambere* A. 6) *periere*] R. a sec. m. D. — *Ibi periere* P. R. a pr. m.

Corium depressum in fluvio viderunt canes:
Id ut comesse extractum possent facilius,
Aquam coepere ebibere: sed rupti prius
Periere, quam quod petierant contingerent.

XXIII. LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS.

Quicunque amisit dignitatem pristinam,
Ignavis etiam jocus est in casu gravi.
Defectus annis et desertus viribus
Leo quum jaceret spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus
Et vindicavit ictu veterem injuriam;
Infestis taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus, ut vidit ferum
Impune laedi, calcibus frontem extudit.
At ille exspirans: Fortes indigne tuli
Mihi insultare: te, naturae dedecus,
Quod ferre morte cogor, bis videor mori.

XXIV. MUSTELA ET HOMO.

Mustela ab homine prensa, quum instantem necem
Effugere vellet: Quaeso, parce, inquit, mihi,
Quae tibi molestis muribus purgo domum.
Respondit ille: Faceres si causa mea,

Fab. XXIII. 2) *etiam jocus est*] D. — *est etiam j.* P. — *est etiam jocus est* R. 3) *armis* R. Gud. teste. Non notavit Vinc. 7) *Infestis*] P. a sec. m. D. teste Rigalt. — *infestus* P. a pr. m. R. Non notavit Vinc. 9) *extudit*] R. D. In P. a pr. m. scriptum reperitur *ext* relicto quatuor litterarum spatio, a secunda *extorxit*, unde Pith. conj. *exterit*. 10) *tuli*] P. R. — *fero* D. „Nihil amplius est in Codice ex hac fabula." Mai. 12) *certe cogor* P. R. Em. Jacob. — *cogor, certe* Conj. Meurs.

Fab. XXIV. 2) *quaeso, parce, inquit*] Em. Burm. — *quaeso, inquit, parce* P. R. — *parce, quaeso, inquit*

Gratum esset et dedissem veniam supplici.
Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quas sunt rosuri, simul et ipsos devores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.
Atque ita locutus improbam leto dedit.
Hoc in se dictum debent illi agnoscere,
Quorum privata servit utilitas sibi
Et meritum inane jactant imprudentibus.

XXV. CANIS FIDELIS.

Repente liberalis stultis gratus est,
Verum peritis inritos tendit dolos.
Nocturnus quum fur panem misisset cani,
Objecto tentans an cibo posset capi:
Heus, inquit, linguam vis meam praecludere,
Ne latrem pro re domini? Multum falleris.
Namque ista subita me jubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

XXVI. RANA RUPTA ET BOS.

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
In prato quondam rana conspexit bovem

Bentl. conj. Sed Phaedrus *quaeso* initio enunciati etiam posuit lib. III. 9, 6. 4) *Faceres*] R. a sec. m. Etiam A. et Rom. secundam inferunt pers. — *facerem* P. R. a pr. m. 5) *et*, quod in P. et R. omissum est, restituit Pith. Est etiam apud A. et Rom. 7) *quae sunt* P. Em. Rittersh. — *quas illi erant* (*fuerant* Rom.) *rosuri* A. Post voc. *devores* haec irrepsit in versus adnotatiuncula: *Hic intellege soricem esse generis masculini.* 8) *imputare*] Rem. a sec. m. A. — *me putare* P. R. a pr. m. 12) *jactat* conj. Rittersh.

Fab. XXV. 2) *Rerum* conj. Bentl. — *tendit*] R. a sec. m. — *ostendit* P. R. a pr. m. 4) *possit* P. R. Emend. Rittersh.

Fab. XXVI. 2) *quondam*] Em. Heins. — *quodam* P. R. — *quaedam* A. 5) *esset altior* A.

Et tacta invidia tantae magnitudinis
Rugosam inflavit pellem: tum natos suos
Interrogavit, an bove esset latior.
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Majore nisu et simili quaesivit modo,
Quis major esset. Illi dixerunt, bovem.
Novissime indignata, dum vult validius
Inflare sese, rupto jacuit corpore.

XXVII. CANES ET CORCODILI.

Consilia qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam et deridentur turpiter.
Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A corcodilis ne rapiantur, traditum est.
Igitur quum currens bibere coepisset canis,
Sic corcodilus: Quamlibet lambe otio,
Potatum accede; noli temere de dolo,
Ait, vereri. At ille: Facerem, me Hercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

XXVIII. VULPES ET CICONIA.

Nulli nocendum: si quis vero laeserit,
Multandum simili jure fabella admonet.

Fab. XXVII. Index, 4 et 6) *Corcodrilli — corcodrillis — corcodrillus* P. — *Corcodilli — corcodillis — corcodillus* R. Emendavit Gud. 3) *ex Nilo* A. 7 et 8) Ita scripsi poëtae vestigia legens in P. et R., ubi haec sunt corrupta: *Pota, accede: noli timere, sedulo ait* (*ait* omittit R.), *at noli vereri, inquit. At ille facerem hercule.* Longius ab iis recedunt haec: *Potatum accede Nilum; temere de dolo Noli vereri.* Rigalt. plurima pro gloss. habens scripsit in Ed. postr.: *quam l. lambe otio; Noli vereri. At ille: Facerem mehercule,* quae conj. multum commendationis habet ex A. brevitate, qui: *Quod libet labio tuo, noli vereri. Respondit: Facerem.*

Fab. XXVIII. 3) *Vulpis ad cenam* P. R. 4) *et illi liquidam in patena* P. R. Em. Rigalt. Edit. II. — *in catino*

Vulpes ad coenam dicitur ciconiam
Prior invitasse et illi in patena liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit ciconia.
Quae vulpem quum revocasset, intrito cibo
Plenam lagonam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa et torquet convivam fame.
Quae quum lagonae collum frustra lamberet,
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

XXIX. CANIS ET THESAURUS ET VULTURIUS.

Haec res avaris esse conveniens potest
Et qui humiles nati, dici locupletes student.
Humana effodiens ossa thesaurum canis
Invenit et violarat quia Manes deos,
Injecta est illi divitiarum cupiditas,
Poenas ut sanctae religioni penderet.
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi
Fame est consumptus; quem stans vulturius super
Fertur locutus: O canis, merito jaces,
Qui concupisti subito regales opes,
Trivio conceptus et educatus stercore.

Rom. 8) *lagona* ab. A. et Rom. scribitur *lagena*. 10) Sic P. — *lamberet collum frustra* R.

Fab. XXIX. Versus 1. et 2. Bentlejo suspecti. 3) *thensaurum* Gud. 4) *violarat*] R. „In P. extrema hujus vocis erasa sunt, syllaba *at* substituta, (ut nunc sit: *violat.*) Unde conjicere licet primam lectionem fuisse *violarat* ut in Cod. Rem. Pithoeus autem: — *violavit.*“ Haec Berg. 10) *concupistis* P. Emend. Pith.

XXX. VULPES ET AQUILA.

Quamvis sublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet sollertiae.
Vulpinos catulos aquila quondam sustulit
Nidoque posuit pullis, escam ut carperent.
Hanc persecuta mater orare incipit,
Ne tantum miserae luctum importaret sibi.
Contempsit illa, tuta quippe ipso loco.
Vulpes ab ara rapuit ardentem facem
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hosti dolorem damno miscens sanguinis.
Aquila ut periclo mortis eriperet suos
Incolumes natos supplex vulpi tradidit.

XXXI. ASINUS INRIDENS APRUM.

Plerumque stulti risum dum captant levem,
Gravi destringunt alios contumelia
Et sibi nocivum concitant periculum.
Asellus apro quum fuisset obvius,
Salve, inquit, frater. Ille indignans repudiat
Officium et quaerit, cur sic mentiri velit.
Asinus demisso pene: Similem si negas
Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo.
Aper, quum vellet facere generosum impetum,
Repressit iram et: Facilis vindicta est mihi,
Sed inquinari nolo ignavo sanguine.

FAB. XXX. 1) In P. post *debent* additur gloss. *homines* jam a Pith. sublatum. 2) *solertia* P. R. Em. Prasch. 8) *Vulpis* P. R. Conf. fab. VII, 1. 10) Ita codd. — *Hostis dolore damnum ulciscens sanguinis* Heising. conj. 11) *pericolo* P. — *periculo* Gud. Em. Pith. 12) *tradidit*] P. R. — *reddidit* A. Rom.

FAB. XXXI. 2) *destringunt*] P. — *distringunt* conj. Guyet. 7) *demisso pene*] Em. Burm. — *dimisso pene* P. In P. a recentiore manu *pene* mutatum est in *pede*, unde Pithoeus: *demissis pedibus*. — *dimissa pene* R. teste Vinc.

XXXII. RANAE METUENTES TAURORUM PROELIA.

Humiles laborant, ubi potentes dissident.
Rana in palude pugnam taurorum intuens,
Heu quanta nobis instat pernicies! ait.
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
De principatu quum illi certarent gregis
Longeque ab ipsis degerent vitam boves:
Est statio separata ac diversum genus:
Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in secreta veniet latibula
Et proculcatas obteret duro pede.
Ita caput ad nostrum furor illorum pertinet.

XXXIII. MILUUS ET COLUMBAE.

Qui se committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.
Columbae saepe quum fugissent miluum
Et celeritate pennae vitassent necem,
Consilium raptor vertit ad fallaciam
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare sollicitum potius aevum ducitis,
Quam regem me creatis icto foedere,
Qui vos ab omni tutas praestem injuria?

Fab. XXXII. 6) *ab ipsis*] Ex em. Bothii. — *ab illis* P. R. — *ab ulvis* ingeniose conj. Desbill. 7) *Est ratio separata, inquit, ac diversum genus* P. R. Emendavit Gud. 8) *Sed pulsus*] Em. Burm. — *Expulsos* P. R. — *profugeret Paludes* R. 11) *Caput ita* conj. Pith.

Fab. XXXIII. 2) *auxilium* A. Bentl. — *exitium*] Em. Pith. — *exitum* P. 3) *milvium* et v. 10. *milvio* conj. Pith. 8) „Super vocem *icto*, inter elementa *i* atque *c* scripsit librarius Cod. P. *un*, fortasse ut indicaret varietatem:

Illae credentes tradunt sese miluo;
Qui regnum adeptus coepit vesci singulas,
Et exercere imperium saevis unguibus.
Tunc de relicuis una: Merito plectimur.

---

juncto." Berg. 9 et 10) *injurias* — — *tradent* P.R. teste Gud. Em. Pith. 13) *relicuis*] Pith. in Var. lectt. — *reliquis* P. In P. huic fab. subscribitur: PHAEDRI AUG. LIBERTI LIBER SECUNDUS. INCIPIT LIBER TERTIUS FELICITER. In R. vero haec lib. II. praeponuntur:

Phaedri Augusti liberti liber secundus.

LIBER SECUNDUS.

AUCTOR.

Exemplis continetur Aesopi genus;
Nec aliud quicquam per fabellas quaeritur,
Quam corrigatur error ut mortalium
Acuatque sese diligens industria.
Quicunque fuerit ergo narrandi jocus;
Dum capiat aurem et servet propositum suum,
Re commendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem servabo senis;
Sed si libuerit aliquid interponere,
Dictorum sensus ut delectet varietas;
Bonas in partes, lector, accipias velim.
Ita, si rependet illam brevitas gratiam,
Cujus verbosa ne sit commendatio,
Attende cur negare cupidis debeas,
Modestis etiam offerre, quod non petierint:

Prol. 5) *narrandi jocus*] P. Pith. legerat *locus*. Conf. quae de Cod. P. tradidit Berg. pag. 19. — *narrantis jocus* conj. Graev. — *narranti jocus* Gud. conj. 9) *interpone* P. Em. Pith. 12) *Ita sic rependet illi* P. R. Orell. fuisse putat: *Bonas in partes lector accipiat velim: Ita hanc rependet illi brevitas gratiam;* i. e. tum *hanc gratiam,* benignitatem, rependet *illi* (lectori) festiva mea brevitas. — Recepi Heins. conj. 13) *ne sit*] (R. a sec. m.) Heins. — *nescit* P. R. a pr. m. Vers. 14. et 15. Pith. fabulae sequenti praeposuit. Idem fecerunt Desbill. et Zell. scribentes: *Sic ea rependet illi br. gr. C. v. nec s. c.* Fab. I. *Attende* cett.

I. JUVENCUS, LEO ET PRAEDATOR.

Super juvencum stabat dejectum leo.
Praedator intervenit partem postulans.
Darem, inquit, nisi soleres per te sumere:
Et improbum rejecit. Forte innoxius
Viator est deductus in eundem locum
Feroque viso retulit retro pedem.
Cui placidus ille: Non est quod timeas, ait;
Et, quae debetur pars tuae modestiae,
Audacter tolle. Tunc diviso tergore
Silvas petivit, homini ut accessum daret.
Exemplum egregium prorsus et laudabile;
Verum est aviditas dives et pauper pudor.

II. ANUS DILIGENS JUVENEM, ITEM PUELLA.

A feminis uteunque spoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis discimus.
Aetatis mediae quendam mulier non rudis
Tenebat annos celans elegantia:
Animosque ejusdem pulchra juvenis ceperat.
Ambae, videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere coepere invicem.
Qui se putaret fingi cura mulierum,
Calvus repente factus est: nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

Fab. I. 7) *quid timeas* P.R. Em. Pith.

Fab. II. 3) *quendam*] Em. Gud. — *quedam* P. *quaedam* R. 4) *tenebat*] Ex em. Prasch. — *tegebat* P. R. 5) *animusque* P. 8) *Qui*] P. R. — *Quum* Rig. e. conj. — *fingi*] Em. Sciopp. — *pingi* P.R.

III. AESOPUS AD QUENDAM DE SUCCESSU IMPROBORUM.

Laceratus quidam morsu vehementis canis
Tinctum cruore panem misit malefico,
Audierat esse quod remedium vulneris.
Tunc sic Aesopus: Noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
Quum scierint esse tale culpae praemium.
Successus improborum plures allicit.

IV. AQUILA, FELES ET APER.

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat:
Feles cavernam nacta in media pepererat:
Sus nemoris cultrix fetum ad imam posuerat.
Tum fortuitum feles contubernium
Fraude et scelesta sic evertit malitia:
Ad nidum scandit volucris: Pernicies, ait,
Tibi paratur, forsan et miserae mihi;
Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum insidiosum, quercum vult evertere,
Ut nostram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore offuso et perturbatis sensibus
Derepit ad cubile setosae suis.
Magno, inquit, in periclo sunt nati tui;
Nam, simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquila est parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore postquam complevit locum,

FAB. III. 1) *vehementi* conj. Bongars. 2) *misit*] Ex em. Gud. conf. I. 25, 3. III. 2, 6. — *immisit* P. R. 5) *ut vos* Gud. 7) *allicet* R.

FAB. IV. 2) *nacta*] Ita Nevel. — *nancta* P. R. 3) *nemoricultrix* Bongars. conj. non necess. 8) *cotidie* P. R. 11) *offuso*] Em. Rittersh. — *effuso* P. R. 12) *derepit*] Em. Colerus. — *diripit* P. R. 13) *periculo* P. 17) *tuto*] Rem.

Dolosa tuto condidit sese cavo:
Inde evagata noctu suspenso pede,
Ubi esca se replevit et prolem suam,
Pavorem simulans prospicit toto die.
Ruinam metuens aquila ramis desidet;
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? Inedia sunt consumpti cum suis
Felisque catulis largam praebuerunt dapem.
Quantum homo bilinguis saepe concinnet mali,
Documentum habere stulta credulitas potest.

V. CAESAR [AD GRAECULUM.

Rhodi Tiberius Nero, captus insulae
Salubritate, quum tribunus viveret,
Non raro, ut Musis ipse deditus, in scholis
Sophos audivit atque officia mutuo
Ex aequo prope cum plurimis exercuit.
Ibi Diogenes, grammaticus pernobilis,
Quibusque solitus disputare sabbatis,
Venientem quondam, ut se docentem extra ordinem
Audiret, non admisit ac per servulum
In septimum superbus distulit diem.
Salutaturus hic ut venit postea
Romam, pro foribus adstantem nihil amplius

---

a sec. m. — *toto* P. R. a pr. m. 18) *suspensu* P. 19) *sese* P. R. Em. Pith. 24) *Felique et catulis* conj. Hare.

Fab. V. Ex indice fabulae subsequentis, ubi jam Vincent. notaverat „*Cet item donnerait à penser, qu'il y a quelque lacune précédente.*" apparet, auctorem antea narratiunculam de Tiberio aliquam interposuisse, alteri quae superat, consimilem. Ad lacunam explendam aptissima visa sunt, quae de eodem Tiberio retulit Suetonius in Tiber. c. XI. et XXXII. Haec igitur Suetonii verba, ut hiatus turpitudo narrationis lepore vinceretur, inserui.

Admonuit Caesar quam post annum septimum
Ad se salutandum ut vellet revertier.
Nil Graeculorum fastu est impudentius.]

VI. ITEM CAESAR AD ATRIENSEM.

Est ardelionum quaedam Romae natio,
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta et aliis odiosissima:
Hanc emendare, si tamen possum, volo
Vera fabella: pretium est operae attendere.
Caesar Tiberius quum petens Neapolim
In Misenensem villam venisset suam,
Quae monte summo posita Luculli manu
Prospectat Siculum et respicit Tuscum mare,
Ex alticinctis unus atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus,
Perambulante laeta domino viridia,
Alveolo coepit ligneo conspergere
Humum aestuantem, jactans officio comam:
Sed deridetur. Inde notis flexibus
Praecurrit alium in xystum, sedans pulverem.
Agnoscit hominem Caesar remque intellegit.
Id ut putavit esse nescio quid boni:

Fab. VI. *Item Caesar*] P. R. 1) *ardalionum* P. R. Em. Pith. 2) *occupata notio* P. R. Em. Pith. 8) *Immisiniensem* P. *In Misinensem* R. Em. Pith. 9) *Lucilii* P. sed test. Pith. et Bong. *Lucili* quod etiam fuit in R. 10) *respicit*] Ex em. Heins. — In P. est *prospicit; perspicit*, quod Gud. attulit, in R. fuisse creditur. — *despicit* Guyet. 14) *viridiaria* P. R. Em. Bongars. 16) *jactans officio comam*] Sic ingeniose Orell. V. Cl. pro: *jactans officium come* P. R. — *come officium jactitans* conj. Rigalt. — *jactans officium comes* Wasius. 19) *Caesaremque* P. R. Em. Pith. 20) *Id*] Pith. addidit; *Is* Desbill. In P. et R.

Heus! inquit dominus. Ille enimvero adsilit,
Donationis alacer certae gaudio.
Tum sic jocata est tanta majestas ducis:
Non multum egisti et opera nequicquam perit;
Multo majoris alapae mecum veneunt.

VII. AQUILA ET CORNIX.

Contra potentes nemo est munitus satis;
Si vero accessit consiliator maleficus,
Vis et nequitia quicquid oppugnant, ruit.
Aquila in sublime sustulit testudinem:
Quae quum abdidisset cornea corpus domo
Nec ullo pacto laedi posset condita,
Venit per auras cornix et propter volans:
Opimam sane praedam rapuisti unguibus;
Sed nisi monstraro quid sit faciendum tibi,
Gravi nequicquam te lassabit pondere.
Promissa parte suadet, ut scopulum super
Altis ab astris duram inlidat corticem,
Qua comminuta facile vescatur cibo.
Inducta verbis aquila, monitis paruit,
Simul et magistrae large divisit dapem.
Sic tuta quae naturae fuerat munere,
Impar duabus occidit tristi nece.

---

excidit. 22) *certe* P. R. Em. Pith. 23) *tanti* conj. Pith. 25) *majoris*] Em. Rigalt. in Annot. Ed. I. — *majores* P. R. — *venerunt* P. R. Em. Pith.

Fab. VII. 1) *munitus*] R. a sec. m. Rom. — *nemo tutus satis* R. a pr. m. — *monitus* P. 6) *posset*] N. Pith. ex em. — *possit* P. R. 7) *praeter volans* N. ex. interpol. 8) *Opimam, inquit, pr.* N. ex interpol. 10) *lassavit* N. 11) *Prom. p. vadens ut scopulos s. Ab ast. d. illidat, monet, corticem* N. propter *vadens* corruptum cetera interpolata. 13) *facili* Bentl. conjectura haud necessaria. 15) *Simul magistrae large dimisit* N. 16) *tota* P. a pr. m. ut II. 4, 17. — *fuerat naturae* N. 17) *duobus* Orell. ex errore typogr.

VIII. MULI DUO ET VECTORES.

Muli gravati sarcinis ibant duo:
Unus ferebat fiscos cum pecunia,
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille onere dives celsa cervice eminet
Clarumque collo jactat tintinnabulum,
Comes quieto sequitur et placido gradu.
Subito latrones ex insidiis advolant
Interque caedem ferro mulum sauciant,
Diripiunt nummos, neglegunt vile hordeum.
Spoliatus igitur casus quum fleret suos,
Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo,
Nam nil amisi nec sum laesus vulnere.
Hoc argumento tuta est hominum tenuitas:
Magnae periclo sunt opes obnoxiae.

IX. CERVUS AD BOVES.

Cervus nemorosis excitatus latibulis,
Ut venatorum fugeret instantem necem,
Caeco timore proximam villam petit
Et opportuno se bovili condidit.
Hîc bos latenti: Quidnam voluisti tibi,
Infelix, ultro qui ad necem cucurreris
Hominumque tecto spiritum commiseris?
At ille supplex: Vos modo, inquit, parcite;

Fab. VIII. 3) *multos* N. 4 et 5) *eminet — — jactat*] N. — *eminens — — jactans* P. R. 7) *Latrones subito* N. 8) *sauciant*] N. — *trucidant* P. R. — *trusitant* verbum a Rigalt. effictum. 9) *neglegunt*] R. — *nec legunt* P. — *negligunt* N. 11) *contentum* P. 12) *Quod nihil amisi* N. — *passus vulnera* N. 14) *periculo* P. Em. Pith.

Fab. IX. 1) *nemorum exagitatus* N. 4) *bovili se* R. teste Vinc. *bovile se* P. Em. Pith. — *se bubili* Gud. conj. non necessaria. *Et inter bubulos rusticus se condidit* N. 5) *Heic eo latenti* N. 7) *Hominisque* N. 8) *vos*] N.

Occasione rursus erumpam data.
Spatium diei noctis excipiunt vices.
Frondem bubulcus adfert nec ideo videt.
Eunt subinde et redeunt omnes rustici,
Nemo animadvertit: transit etiam vilicus,
Nec ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus
Bubus quietis agere coepit gratias,
Hospitium adverso quod praestiterint tempore.
Respondit unus: Salvum te cupimus quidem;
Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,
Magno in periclo vita vertetur tua.
Haec inter ipse dominus a cena redit
Et, quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit ad praesepe: Cur frondis parum est,
Stramenta desunt? Tollere haec aranea
Quantum est laboris? Dum scrutatur singula,
Cervi quoque alta conspicatur cornua;
Quem convocata jubet occidi familia
Praedamque tollit. Haec significat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus suis.

X. AUCTOR.

Aesopi ingenio statuam posuere Attici
Servumque collocarunt aeterna in basi;

Pith. conj. — *bos* P. R. 10) *Spatium dein* N. 11) *adfert, nihil videt* N. 13) *Nemo eum advertit* N. — *villicus* N. 14) *gaudens cervus* N. 15) *Bubus quietis*] R. N. — *Boves quietes* P. a sec. m. prima scriptura penitus abrasa. 16) *quia praestarent* N. 17) *te volumus* N. 19) *periculo* P. Deest hic vers. in N. 21) *nuper boves*] N. — *boves nuper* P. 23) Interr. signum apposuit Pith. 25) *alta conspicatur*] N. — *est alta conspicatus* P. R. — *alta est conspicatus* Pith. conj. 27) *Praedamque tollit, quam paraverat casus* N. omissis ceteris.

Epil. 1) *Aesopi ingenio*] N. Idem Gud. conjecerat. — *Aesopo ingentem* P. „Revera in P. videtur primum fuisse:

Patere honori scirent ut cuncti viam
Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.
Quoniam occuparat alter, ne primus forem,
Ne solus esset, studui; quod superfuit:
Nec haec invidia, verum est aemulatio.
Quod si labori faverit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae.
Si livor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conscientiam.
Si nostrum studium pervenit ad aures tuas
Et arte fictas animus sentit fabulas,
Omnem querelam submovet felicitas.
Sin autem doctus illis occurrit labor,
Sinistra quos in lucem natura extulit
Nec quicquam possunt nisi meliores carpere,
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat sui.

Aesopi ingenio.“ Berg. — *Aesopi ingentem* R. 2) *Servumque*] N. — *Servulum quae* P. — *servolumque* R. — *aeternae basi* N. 3) *honori* — — *cuncti*] N. Bentl. conj. — *homini* — — *cuncti* P. R. — *honoris* — — *cuncti* Pith. conj. — *honeris* — — *cunctis* Prasch. conj. 4) Quae post hunc v. leguntur, omisit N. 5 et 6) — *ne primus foret Nec solus esset studii quod superfuit* P. R. Emendavit Rittersh. 8) *faveret* P. — *faberet* R. Em. Pith. 10) *labor oblectare* P. — *libor oblectare* (vel *objectare* Vinc.) R. „Recte Pithoeus: livor *obtrectare*. Neque ulla est in Cod. P., ut dixerunt, a manu secunda scripturae immutatio.“ Berg. 15) *Sin autem ab illis doctus* P. R. Em. Rigalt. 18) *Fatale eventum* conj. Bentl.

LIBER TERTIUS.

PHAEDRUS AD EUTYCHUM.

Phaedri libellos legere si desideras,
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
Ut liber animus sentiat vim carminis.
Verum, inquis, tanti non est ingenium tuum,
Momentum ut horae pereat officii mei.
Non ergo causa est manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non convenit.
Fortasse dices: Aliquae venient feriae,
Quae me soluto pectore ad studium vocent.
Legesne, quaeso, potius viles nenias,
Impendas curam quam reï domesticae,
Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Ut adsuëtam fortius praestes vicem?
Mutandum tibi propositum est et vitae genus,
Intrare si Musarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixa est jugo,
In quo tonanti sancta Mnemosyne Jovi
Fecunda novies artium peperit chorum;
Quamvis in ipsa pene natus sim schola
Curamque habendi penitus corde eraserim
Et laude invicta vitam in hanc incubuerim
Fastidiose tamen in coetum recipior.

Prol. *Phaedrus ad Eutychum*] Sic P. 4) *inquit* P. R. Em. Pith. 5) *officii mei*] P. — *officiis meis* Heins. conj. 9) *soluto*] R. a sec. m. — *solito* P. R. a pr. m. 10) *nenias*] R. — *venias* P. 14) *prestes* P. 15) *ut vitae* P. R. Em. Pith. 18) *Memosyne* R. — *sancta ne Nemosyne* P. 19) *Facunda* P. R. Em. Pith. 22) *invita* P. R. Em. Desbill. — *inventa* Censor Lips. — *in hanc vitam* P. R. Transp. Prasch.

Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quaerit omni vigilia,
Docto labori dulce praeponens lucrum?
Sed jam quodcunque fuerit, ut dixit Sinon,
Ad regem quum Dardaniae perductus foret,
Librum exarabo tertium Aesopi stilo,
Honori et meritis dedicans illum tuis.
Quem si leges, laetabor; sin autem minus,
Habebunt certe, quo se oblectent posteri.
(Nunc, fabularum cur sit inventum genus,
Brevi docebo. Servitus obnoxia,
Quia quae volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit
Calumniamque fictis elusit jocis.
Illius porro ego semita feci viam,
Et cogitavi plura quam reliquerat,
In calamitatem deligens quaedam meam.
Quod si accusator alius Sejano foret,
Si testis alius, judex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.
Suspicione si quis errabit sua
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam.
Huic excusatum me velim nihilominus:
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere).

---

37) *fiet scelus it locis* P. R. Emendavit Pith. Cujus conj. confirmat V. In N. tantum est *fictis* ..... 38) *Illius porro ego semita*] R. teste Vinc. — *Ego illius porro semita* P. 41) *Quod sit* P. Em. Pith. 44) *delenirem*] Ex em. Bentl. *delinirem* P. 45) *Suspiciones quis* Gud. — *suspectione* conj. Bongars. 47) *nudavit* P. R. Em. Pith. 51) *forsan* P. — *forsitan* R. teste Gud. Vinc. non notavit. Em. Bongars. Post v. *gravem* in P. et R. inseritur gloss.: Frigem (teste Gud., *Phrygem* teste Vinc. *Frige* P.) *fuisse Aesopum* jam

Rem me professum dicet fors aliquis gravem.
Si Phryx Aesopus potuit, si Anacharsis Scytha
Aeternam famam condere ingenio suo:
Ego, litteratae qui sum propior Graeciae.
Cur somno inerti deseram patriae decus?
Threïssa quum gens numeret auctores suos,
Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,
Qui saxa cantu movit et domuit feras
Hebrique tenuit impetus dulci mora.
Ergo hinc abesto livor; ne frustra gemas,
Quoniam sollemnis mihi debetur gloria.
Induxi te ad legendum; sincerum mihi
Candore noto reddas judicium peto.

I. ANUS AD AMPHORAM.

Anus jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna faece et testa nobili
Odorem quae jocundum late spargeret.
Hanc postquam totis avida traxit naribus:
O suavis anima! quale in te dicam bonum
Antehac fuisse, tales quum sint reliquiae?
Hoc quo pertineat, dicet, qui me noverit.

---

ab editore primo sublatum. 52) *si Anacharsis Scytha*] Ex em. Burm. qui alterum *si* Fred. Gronovio tribuit. — *Si Phrix Esopus potuit si Anaharsae Scythae* P. teste Bergero, ut alterum *si*, nisi Berg. erravit, in Cod. re vera exstet. — E R. Vinc. tantum notavit: *Anacharsae Scythae.* — *S. P. Ae. p., Anacharsis Scytha* Rigalt. 54) *proprior* P. R. Em. Pith. 59) *Herebique* (P. R.) Em. Rigalt. 60) *libor* P. R. 61) *mihi sollemnis* P. R. Transp. Bongars.

Fab. I. 2) et *testa*] P. R. N. — *e testa* Gud. conj. — *Falerna e faece et testa* Bentl. conj. 3) *sparserat* N. 4) *avita* P. R. 5) *qualem te dicam bonam* P. R. Em. Gud. — *quale te dicam bonum* N. 7) *Hoc*] Em. Pith. — *hunc* P. teste Berg. — *huc* P. teste Bongars.

II. PANTHERA ET PASTORES.

Solet a despectis par referri gratia.
Panthera inprudens olim in foveam decidit.
Videre agrestes: alii fustes congerunt,
Alii onerant saxis: quidam contra miseriti
Periturae quippe, quamvis nemo laederet,
Misere panem, ut sustineret spiritum.
Nox insecuta est: abeunt securi domum,
Quasi inventuri mortuam postridie.
At illa, vires ut refecit languidas,
Veloci saltu fovea sese liberat
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis provolat,
Pecus trucidat, ipsos pastores necat,
Et cuncta vastans saevit irato impetu.
Tum sibi timentes, qui ferae pepercerant,
Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant.
At illa: Memini qui me saxo petierit,
Qui panem dederit: vos timere absistite:
Illis revertor hostis, qui me laeserunt.

III. AESOPUS ET RUSTICUS.

Usu peritus hariolo velocior
Vulgo esse fertur, causa sed non dicitur;

FAB. II. 4) *quidam*] N. — *quidem* P. R. — *miseriti*] Ex em. Pith. — *miserti* P. — *miseriam* N. 6) *panem sustinentes* N. 9) *ut refecit*] R. a sec. m. Rom. — *ut reficit* P. R. a pr. m. — *vi refecit* N. 13) *ipsius pastorem* N. 14) *vertens saevit irati* N. 16) *haut* P. R. — *pro vita*] N. — *prumta* P. teste Berg. — *promta* P. teste Bongars. — *prumta* etiam notavit Gud. 17) *At*] N. — *Et* P. R. — *saxo petierit*] Em. Salmas. — *saxo petierat* P. — *saxo petierant* R. teste Vinc. (Gud. *petierat*) — *saxis petierit* N. 18) *Qui*] N. — *Quis* P. R. 19) *laeserunt*] N. — *laeserant* P.

FAB. III. 1) *velocior*] P. — „*veracior* adscripsit suo exemplari Ed. principis Bongarsius. *velocior* notat etiam

Notescet quae nunc primum fabella mea.
Habenti cuidam pecora pepererunt oves
Agnos humano capite. Monstro exterritus
Ad consulendos currit maerens hariolos.
Hic pertinere ad domini respondet caput
Et avertendum victima periculum.
Ille autem adfirmat conjugem esse adulteram
Et insitivos significari liberos,
Sed expiari posse majore hostia.
Quid multa? Variis dissident sententiis
Hominisque curam cura majore adgravant.
Aesopus ibi stans, naris emunctae senex,
Natura nunquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis ostentum, rustice,
Uxores, inquit, da tuis pastoribus.

IV. LANIUS ET SIMIUS.

Pendere ad lanium quidam vidit simium,
Inter reliciuas merces atque opsonia,
Quaesivit, quidnam saperet? Tum lanius jocans:
Quale, inquit, caput est, talis praestatur sapor.
Ridicule magis hoc dictum quam vere aestimo;
Quando et formosos saepe inveni pessimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

Gud. e Ms. (Rem.)" Orell. 2) *vulgo causa fertur sed non* P. R. Em. Pith. 5) *exterritus*] N. teste Jannellio; idem Pith. conj. — *perterritus* P. R. (*territus* Gud.) 6) *consultandos* N. 7) *respondit* P. (idem Gud. attulit) Em. Rigalt. 8) *Avertendum esse v.* N. 10) *Et illegitimos significat l.* N. 11) *expiare* N. — majore] N. — *majori* P. 13) *Hominesque* P. 14) *ibi stans narrare incipit: Naturam nequaquam verba cuiquam dare* N. — *sibi stans* P. (idem Gud.) — *ibi astans* conj. Rittersh.

Fab. 2) IV. *reliquas* P. Em. Bongars. — *obsonia* P. — *opsonium* N. 4) *praestatus* P. Gud. 5) *magis hoc dictum*] N. Pith. conj. — *hoc dictum magis* P. R. — *existimo* N. 6) *formosus* P. Gud.

V. AESOPUS ET PETULANS.

Successus ad perniciem multos devocat.
Aesopo quidam petulans lapidem impegerat.
Tanto, inquit, melior! Assem deinde illi dedit,
Sic prosecutus: Plus non habeo me Hercule,
Sed, unde accipere possis, monstrabo tibi.
Venit ecce dives et potens: huic similiter
Impinge lapidem, et dignum accipies praemium.
Persuasus ille fecit, quod monitus fuit;
Sed spes fefellit impudentem audaciam:
Comprensus namque poenas persolvit cruce.

VI. MUSCA ET MULA.

Musca in temone sedit et mulam increpans,
Quam tarda es! inquit: non vis citius progredi?
Vide, ne dolone collum compungam tibi.
Respondit illa: Verbis non moveor tuis;
Sed istum timeo, sella qui prima sedens
Jugum flagello temperat lento meum
Et ora frenis continet spumantibus.
Quapropter aufer frivolam insolentiam:
Ubi sit tardandum et ultro currendum scio.
Hac derideri fabula merito potest,
Qui sine virtute vanas exercet minas.

FAB. V. 1) P. ante *multos* inserit *saepe*, quae v. in R. a sec. m. deleta est. 2) *lapides* N. 3) *Fio, inquit* N. 4) *mehercule* P. R. — *mehercules* N. 6) *Venit etiam* Gud., sed nec Pith. nec Bongars. nec Vinc. nec Berg. hanc varietatem notavit. 10) *Comprensus*] N. — *comprehensus* P. — *poenas solvit sceleris* N. „e Christiana interpol. ne sanctum crucis vocabulum ludibrio haberetur.“ Orell.

FAB. VI. 1) *temone*] N. — *timone* P. R. 2) *tarde, inquit* R. teste Gud.; Vinc. non notat — *inquit non*] N. — *inquit et non* P. R. *et* jam a Pith. sublatum. 3) *dolone*] Ex em. Pith. — *dolose* P. — *dolos* R. — *dolosa* N. 6) *meum*] P. a sec. m. — *meo* P. a pr. m. — *flagellans temperat collo*

VII. LUPUS AD CANEM.

Quam dulcis sit libertas, breviter proloquar.
Cani perpasto macie confectus lupus
Forte occucurrit: dein salutatum invicem
Ut restiterunt: Unde sic, quaeso, nites?
Aut quo cibo fecisti tantum corporis?
Ego, qui sum longe fortior, pereo fame.
Canis simpliciter: Eadem est conditio tibi,
Praestare domino si par officium potes.
Quod? inquit ille. Custos ut sis liminis,
A furibus tuearis et noctu domum.
Ego vero sum paratus: nunc patior nives
Imbresque in silvis asperam vitam trahens:
Quanto est facilius mihi sub tecto vivere,
Et otiosum largo satiari cibo?
Veni ergo mecum. Dum procedunt, aspicit
Lupus a catena collum detritum cani.
Unde hoc, amice? Nihil est. Dic, quaeso, tamen.
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quiescam et vigilem, nox quum venerit:
Crepusculo solutus, qua visum est, vagor.

---

meum N. 7) *et ora*] N. Prasch. conj. — *et lora* P. R. 9) Sic N. teste Jannellio. — *Nam ubi tricandum et ubi currendum est scio* P. R. Pro *Nam ubi* Rigalt. *Namque ubi* e conj., pro *tricandum* Grut. *strigandum* idem e conj. Sed cum neque *tric.* neque *strig.* de lento incessu commode dicatur, et *est* non possit non mutari, Perotti verba quam editorum commenta sequi malui. — *Nam et ubi tr. et ubi e. sit scio* Bentl. conj.

Fab. VII. 3) *occurrit: dein salutantes* P. R. Em. Orell. — *salutati* N. — *occurrit: salutantes dein* Pith. conj. — *occucurrit: d. salutant inv.* Sanadon conj. 9) *Quale? inquit ille. Custos si fueris liminis* N. 10) *tuearis noctu* N. 16) *cani*] N. A. Rom. — *canis* P. R. 17) *dic, sodes* N. 19) *venit* N. 20) *vager* N. 22) *Dat*] P. a sec. m. — *Datur* P. a pr. m. Gud. — *jactant familia*] Sic scrips. Jannell.

Adfertur ultro panis; de mensa sua
Dat ossa dominus; frusta jactant familia,
Et, quod fastidit quisque, pulmentarium.
Sic sine labore venter impletur meus.
Age, si quo abire est animus, est licentia?
Non plane est, inquit. Fruere, quae laudas, canis:
Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

VIII. SOROR ET FRATER.

Praecepto monitus saepe te considera.
Habebat quidam filiam turpissimam
Idemque insignem pulchra facie filium.
Hi, speculum in cathedra matris ut positum fuit,
Pueriliter ludentes forte inspexerunt.
Hic se formosum jactat: illa irascitur
Nec gloriantis sustinet fratris jocos,
Accipiens quippe cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem decurrit laesura invicem
Magnaque invidia criminatur filium,
Vir natus quod rem feminarum tetigerit.
Amplexus ille utrumque et carpens oscula
Dulcemque in ambos caritatem partiens:
Quotidie, inquit, speculo vos uti volo:
Tu formam ne corrumpas nequitiae malis;
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

---

conf. III. 10, 24. — *jactant famuli* N. — *projiciunt familia* A. — *jactat familia* P. R. 25) *est abire* P. R. Transp. Bongars. — *si quo abire vis* N. 26) *Fruere his* N. 27) — *nolo, nisi libertatem habeam.* N.

Fab. VIII. 3) *insignem pulchra*] Harii conj — Idem N. tribuit Dorvillius. — *insigni et pulchra* P. R. N. teste Jannellio. 4) *His speculum* P. R. Em. Salmas. In N. *His* deest. — *ut positum*] N. — *suppositum* P. R. 5) *inspexerant* Pith. conj. In N. est litura. 7) *fratris sustinet* N. 8) *quippe*] Ex em. Bentl. conf. I. 30, 7. III. 2, 5. —

IX. SOCRATES AD AMICOS.

Vulgare amici nomen, sed rara est fides,
Quum parvas aedes sibi fundasset Socrates,
(Cujus non fugio mortem si famam adsequar,
Et cedo invidiae, dummodo absolvar cinis,)
Ex populo sic nescio quis, ut fieri solet:
Quaeso, tam angustam talis vir ponis domum?
Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam!

X. POËTA.

Periculosum est credere et non credere.
Utriusque exemplum breviter exponam rei.
Hippolytus obiit, quia novercae creditum est;
Cassandrae quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda est veritas multum, prius
Quam stulta prave judicet sententia.
Sed fabulosam ne vetustatem eleves,
Narrabo tibi memoria quod factum est mea.
Maritus quidam quum diligeret conjugem
Togamque puram jam pararet filio,
Seductus in secretum a liberto est suo,
Sperante heredem suffici se proximum.

---

quid enim? quod in Codd. habetur, hoc loco *alienum* est. — *quidni?* conj. Rittersh. 9) *invicem* etiam N. Jannellio teste, sed Dorvillio: *juvenem*. 11) Hunc vers. om. N. 12) *Ille ampl. utr.* N. 14) *Cotidie* P. R. — *Continue* — — *speculis* N. 15) *nequitia* N.

Fab. IX. 5) *Est populo* P. Em. Pith. E Rem. nihil notatum est.

Fab. X. POËTA] Codices addunt: DE CREDERE ET NON CREDERE. 2) *ponam* N. 3) *obiit*] N. — *obit* P. R. 5) *semper prius* N. 6) *stulte prava* N. 7) *fabulosa ne vetustatem levem* P. R. a pr. m. — *fabulosa ne vetustate elevem* Pith. conj. et R. a sec. m. — *fabulosam ne vetustatem asseras* N. Emend. Bentl. 8) *quod memoria* N. 9) *Maritus castam q.* N. ut ver. 14. 10) *puram compararet* N.

Qui quum de puero multa mentitus foret
Et plura de flagitiis castae mulieris,
Adjecit id, quod sentiebat maxime
Doliturum amanti, ventitare adulterum
Stuproque turpi pollui famam domus.
Incensus ille falso uxoris crimine
Simulavit iter ad villam clamque in oppido
Subsedit: deinde noctu subito januam
Intravit, recta cubiculum uxoris petens,
In quo dormire mater natum jusserat,
Aetatem adultam servans diligentius.
Dum quaerunt lumen, dum concursant familia,
Irae furentis impetum non sustinens
Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput.
Ut sentit tonsum, gladio pectus transigit,
Nihil respiciens, dum dolorem vindicet.
Lucerna adlata, simul adspexit filium
Sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quae nil somno senserat;
Repraesentavit in se poenam facinoris
Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat.
Accusatores postularunt mulierem
Romamque pertraxerunt ad centumviros.
Maligna insontem deprimit suspicio,

---

11) *Seductus*] N. Pith. conj. — *Sed vetus* P. R. — *est* quod habet N., in P. et R. desideratur. 12) *sufficí se*] Em. Rigalt. R. correctum a sec. m. — *sufficisse* P. R. — *fieri se* N. 13) *qui quum*] R. Rittersh. conj. — *qui dum* P. — *hic quum* N. 16) *amantem* N. 20) *Suo sedit dehinc* N. 21) *cubiculum infelix petens* N. 22) *natum mater* N. 24) *concursant*] P. R. a pr. m. — *concursat* R. a sec. m. N. 26) *accedit*] P. R. — *vadit* N. 27) *sensit* N. — *transfigit* P. R. N. Em. Bongars. 28) *Nihil respiciens, dum*] N. Pith. conj. — *nihil in respiciendum* P. R. (*in* correctum a manu recentiore.) 31) *nil*] N. — *nihil* P. Gud. 36) *Magna insolentem* N. — *suspectio* conj. Bongars. 37) *possidet* N.

Quod bona possideat. Stant patroni fortiter
Causam tuentes innocentis feminae.
A Divo Augusto tunc petiere judices,
Ut adjuvaret juris jurandi fidem,
Quod ipsos error implicuisset criminis.
Qui postquam tenebras dispulit calumniae
Certumque fontem veritatis repperit:
Luat, inquit, poenas causa libertus mali;
Namque orbam nato simul et privatam viro
Miserandam potius quam damnandam existimo.
Quod si delata perscrutatus crimina
Paterfamilias esset, si mendacium
Subtiliter limasset, a radicibus
Non evertisset scelere funesto domum.
Nil spernat auris, nec tamen credat statim:
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putes,
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.
Hoc admonere simplices etiam potest,
Opinione alterius ne quid ponderent:
Ambitio namque dissidens mortalium
Aut gratiae subscribit aut odio suo.
Erit ille notus, quem per te cognoveris.
Haec exsecutus sum propterea pluribus,
Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.

---

39) „Hic versus (in P. et R.) exaratus est literis májusculis iisdemque rubricatis, instar tituli.“ Berg. — *Pontificem maximum rogarunt judices* (christiana interpol.) N. 41) *Quod*] P. R. — *Quando ipsos terror* N. 42) *distulit* P. Gud. Em. Pith. In N. v. 42. et 43. coarctati sunt ita: *Qui postquam fontem veritatis reperit.* 44) *poenas pessimus libertus* N. 45) *ac privatam* N. 47) *delata*] Ex em. Burm. — *delatum bene scrutatus crimen* N. — *damnanda* P. R. 48) *Paterfamilias*] N. — *Paterfamiliae* P. 51) *Nil*] N. — *Nihil* P. R. 52) *putas* N. 54) *ammonere* P. R. Ab hoc vers. Perottus reliqua omisit. 55) *ne quid ponderent*] Sic jam in ed. Fabri 1664 emendatum, correctum etiam in R. — *ne quis ponderet* P. R. a pr. m.

XI. EUNUCHUS AD IMPROBUM.

Eunuchus litigabat cum quodam improbo,
Qui super obscena dicta et petulans jurgium
Damnum insectatus est amissi corporis.
En, ait, hoc unum est, cur laborem validius,
Integritatis testes quia desunt mihi.
Sed quid fortunae, stulte, delictum arguis?
Id demum est homini turpe, quod meruit pati.

XII. PULLUS AD MARGARITAM.

In sterquilino pullus gallinaceus
Dum quaerit escam, margaritam repperit.
Jaces indigno quanta res, inquit, loco!
Hoc si quis pretii cupidus vidisset tui,
Olim redisses ad splendorem pristinum.
Ego quod te inveni, potior cui multo est cibus,
Nec tibi prodesse nec mihi quicquam potest.
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

XIII. APES ET FUCI, VESPA JUDICE.

Apes in alta quercu fecerant favos:
Hos fuci inertes esse dicebant suos.
Lis ad forum deducta est, vespa judice.
Quae genus utrumque nosset quum pulcherrime,

Fab. XI. *Qui*] N. — *Cui* P. R. 5) *integritati* — — — *meae* N. 6) *delictum*] N. — *delectum* P. R.

Fab. XII. 1) *sterquilinio* P. N. — *stercuilinio* R. Em. Salm. — *gallinaceus*] N. — *gallinacius* P. 4) *Hic si* Both. conj. — *vidisses* R. a pr. m. — *tui* omisit N. 5) *pristinum*] N. Rom. — *maximum* P. R. 6) *quod te*] N. teste Jannellio. — *qui te* P. R. — *cui potior est cibus* N. 7) *potest*] N. — *potes* P. R. 8) *narrat* P. a pr. m.

Fab. XIII. 1) *alta*] N. — *alia* P. Gud. — *quercu fecerunt* P. R. Em. Pith. — *fecerant quercu* N. 3) *deducta ad forum est* N. altero loco; bis enim hanc habet

Legem duabus hanc proposuit partibus;
Non inconveniens corpus et par est color,
In dubium plane res ut merito venerit.
Sed ne religio peccet inprudens mea,
Alvos accipite et ceris opus infundite,
Ut ex sapore mellis et forma favi,
De quîs nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recusant: apibus conditio placet.
Tunc illa talem protulit sententiam:
Apertum est quis non possit, et quis fecerit.
Quapropter apibus fructum restituo suum.
  Hanc praeterissem fabulam silentio,
Si pactam fuci non recusassent fidem.

XIV. DE LUSU ET SEVERITATE.

  Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
Aesopum nucibus quum vidisset, restitit
Et quasi delirum risit. Quod sensit simul
Derisor potius quam deridendus senex,
Arcum retensum posuit in media via:
Heus! inquit, sapiens, expedi, quid fecerim.
Concurrit populus. Ille se torquet diu
Nec quaestionis positae causam intellegit.
Novissime succumbit. Tum victor sophus:
Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris;

---

fabellam. 6) *colos* R. a pr. m. 9) *alveos* N. bis. 11) *quis*] N. — *quibus* P. R. 12) *fusi* P. 13) *Tum* P. teste Berg. — *protulit*] N. sed altero loco: *pertulit*. — *sustulit* P. R. — *T. illa litem sustulit sententia* Wopkensius conj. Orellio *sustulit* curruptum videtur ex: *eis tulit*. — *in hos tulit* Heins. conj. — *sententia* Gud. 14) *et quis*] N. — *aut quis* P. R.

Fab. XIV. 3) *delirum*] N. — *delerum* P. R. 4) *Ut derisorem potius ridendum* (*deridendum* a pr. m.) *ostenderet* N. 9) *victor sophus*] Ex em. Bongars. (in exempl. Bern.) — *victor Aesopus* P. R. — *vero Aesopus* N. 10) *si tensum*

At si laxaris, quum voles erit utilis.
Sic ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

XV. CANIS AD AGNUM.

Inter capellas agno balanti canis:
Stulte, inquit, erras; non est hîc mater tua;
Ovesque segregatas ostendit procul.
Non illam quaero, quae, quum libitum est, concipit,
Dein portat onus ignotum certis mensibus,
Novissime prolapsam effundit sarcinam;
Verum illam, quae me nutrit admoto ubere
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.
Tamen illa est potior, quae te peperit. Non ita est.
Unde illa scivit, niger an albus nascerer?
Age porro; parere si voluisset feminam,
Quid profecisset, quum crearer masculus?
Beneficium magnum sane natali dedit,
Ut exspectarem lanium in horas singulas!
Cujus potestas nulla in gignendo fuit,
Cur hac sit potior, quae jacentis miserita est
Dulcemque sponte praestat benevolentiam?
Facit parentes bonitas, non necessitas.

---

semper N. 11) *laxaveris* N. 12) *ludus — debet*] Em. Scheff. — *lusus — debet* N. — *lusus — debent* P. R. 13) *Ad cog. ut sic melior redeat* N.

Fab. XV. 1) *palanti* Prasch. conj. — *vaganti* Rom. 2) *hîc*] N. Rom. — *haec* P. R. 5) *deinde portat* P. R. Em. Pith. — *dein fert* N. 7) *admodum ubere* N. 9) *illa potior quae peperit* N. 10) *nasceretur* N. 11 et 12) Sic N. In P. et R. hi vers. in unum conflati sunt ita: *Age porro fecisset (fuisset* R.): *quum crearer masculus*. Pith. scripsit: *Age porro scisset: quum cr. m., Benef.* 13) *sane magnum* N. *natali*] N. — *natale* P. R. 14) *exspectarem*] N. — *spectarem* P. R. 16) *miserta* N. 17) *benivolentiam* P. R. N.

His demonstrare voluit auctor versibus
Obsistere homines legibus, meritis capi.

XVI. CICADA ET NOCTUA.

Humanitati qui se non accommodat,
Plerumque poenas oppetit superbiae.
Cicada acerbum noctuae convicium
Faciebat, solitae victum in tenebris quaerere
Cavoque ramo capere somnum interdiu.
Rogata est, ut taceret. Multo validius
Clamare occoepit. Rursus admota prece
Accensa magis est. Noctua ut vidit sibi
Nullum esse auxilium et verba contemni sua,
Hac est adgressa garrulam fallacia:
Dormire quia me non sinunt cantus tui,
Sonare cithara quos putes Apollinis,
Potare est animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit; si non fastidis, veni;
Una bibamus. Illa, quae arebat siti,
Simul cognovit vocem laudari suam,
Cupide advolavit. Noctua egressa e cavo
Trepidantem consectata est et leto dedit.
Sic viva quod negarat tribuit mortua.

---

18) *parentem* N. — *nativitas* Rom. 20) *legibus*] Em. Pith. — *legimus* P.

Fab. XVI. *Non esse sponte alicui faciendam injuriam; nam qui humanitati se n. ac., plerumque p. dat superbiae* N. Promythia ita interpolare solitus Perottus. 3) *convitium* N. 4) *Agebat* N. 7) *occoepit*] N. — *coepit* P. R. 9) *contemni data* N. 11) *Dor. quum non sin.* N. 12) Hunc v. omisit N. 13) *potare si an.* N. „e scriptura *potarest*“ Orell. 15) *arebat*] N. — *ardebat* P.R. 16) *Simul gaudebat* N. 17) *egressa e cavo*] N. — *egressa cavo* P. R. 18) *crepitantem* conj. Heins.

XVII. ARBORES IN DEORUM TUTELA.

Olim, quas vellent esse in tutela sua,
Divi legerunt arbores. Quercus Jovi
Et myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea,
Pinus Cybebae, populus celsa Herculi.
Minerva admirans, quare steriles sumerent,
Interrogavit. Causam dixit Juppiter:
Honorem fructu ne videamur vendere.
At, me Hercules, narrabit quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructum est gratior.
Tunc sic deorum genitor atque hominum sator:
O nata, merito sapiens dicere omnibus!
Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.
Nihil agere quod non prosit fabella admonet.

XVIII. PAVO AD JUNONEM DE VOCE SUA.

Pavo ad Junonem venit indigne ferens,
Cantus luscinii quod sibi non tribuerit:
Illum esse cunctis auribus admirabilem,
Se derideri, simul ac vocem miserit.
Tunc consolandi gratia dixit dea:

Fab. XVII. 3) *laurus* N. 4) *Pinus Cybebae, populus*] Sic R. nisi quod vocabulo *populus* ibi *Neptuno* superscriptum postea vero deletum est. — *Pinus Cibebe, Neptuno populus* P. — *Pinus Neptuno, populus* N. 5) *ammirans* P. R. — *sterilis* N. 7) *Honorem fructu*] Perottus in Cornucopiae. — *Honorem fructus* N. tribuit Dorvill., non vero Jannell. *Honore fructum* P. R. 8) *mehercules* N. — *mehercule* P. R. — *narravit* P. R. Em. Pith. — *inquit* N. 9) *fructum*] R. a sec. m. — *fructus* P. R. a pr. m. N. 10) *Tum* N. — *genitor*] N. Pith. conj. — *gentium* P. R. 13) *ammonet* R. — *monet* P. Emend. Pith.

Fab. XVIII. 1) *Pavo Junonem convenit* N. Perottus in N. v. 2. et 11. *lusciniae*, at ver. 3. *Illum*, manifestum interpolationis signum. 3) *auribus*] P. R. — *avibus* N. — *ammirabilem* P. R. 5) *gratiam* P. R. 6) *forma tu vincis*

Sed forma vincis, vincis magnitudine;
Nitor smaragdi collo praefulget tuo
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
Quo mî, inquit, mutam speciem, si vincor sono?
Fatorum arbitrio partes sunt vobis datae:
Tibi forma, vires aquilae, luscinio melos,
Augurium corvo, laeva cornici omina:
Omnesque propriis sunt contentae dotibus.
Noli adfectare quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querelam recidat.

XIX. AESOPUS RESPONDET GARRULO.

Aesopus domino solus quum esset familia,
Parare cenam jussus est maturius.
Ignem ergo quaerens, aliquot lustravit domus,
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.
Tum circueunti fuerat quod iter longius,
Effecit brevius: namque recta per forum
Coepit redire. Et quidam e turba garrulus:
Aesope, medio sole quid cum lumine?
Hominem, inquit, quaero, et abiit festinans domum.
Hoc si molestus ille ad animum rettulit,
Sensit profecto se hominem non visum seni,
Intempestive qui occupato adluserit.

---

et magn. N. 9) *Quo mihi* P. R. Em. Pith. — *Cur mihi, inquit, species, si* N. ex interpol. 10) *vobis sunt* N. teste Dorvill. non Jannell. 12) *leva cornici homina* P. R. 13) *Omnes quae* Pith. conj. — *dotibus*] N. Heins. conj. — *vocibus* P. R. 15) *reccidat* P. a pr. m.

Fab. XIX. 1) *quum esset solus* N. 3) *domos aliquot lustravit* N. 4) *accenderat* Gud. 5) *circumeunti* P. R. N. Ejecit *in* Burm. 7) *redire. Et quidem est* P. teste Berg. — *redire. Quidam e* N. 8) *quid cum*] N. — *quid tu cum* P. R. 9) *abit* P. R. N. Em. Rittersh. 12) *illuserit* Gud.

XX. POËTA.

Supersunt mihi quae scribam, sed parco sciens:
Primum esse ne tibi videar molestior,
Distringit quem multarum rerum varietas;
Dein si quis eadem forte conari velit,
Habere ut possit aliquid operis residui:
Quamvis materiae tanta abundet copia,
Labori faber ut desit, non fabro labor.
Brevitati nostrae praemium ut reddas, peto,
Quod es pollicitus: exhibe vocis fidem.
Nam vita morti propior est quotidie:
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, usus fiet longior;
Fruar diutius, si celerius cepero.
Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae,
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adjuvare bonitas nitetur tua,
Quum jam desierit esse beneficio utilis
Et mors vicina flagitabit debitum.
Stultum admovere tibi preces existimo,
Proclivis ultro quum sit misericordia.

XX. Epilogus hic in P. et R. post fab. XXV. libri IV. collocatus est cum ind.: *IDEM POETA*. Jam Brotier, Schw., Zell. libro III. addiderunt.

2) *esse tibi ne* P. R. Transp. Pith. 3) *destringit* P. R. Em. Burm. 4) *conare* P. Gud. 6) *materiae*] Ex em. Pith. — *naturae* P. R. 7) *laboris* P. a sec. m. 8) *brevitatis* P. R. Em. Salmas. — *praemium*] Em. Pith. — *nimium* P. „Primo solum erat *mium*, superaddita deinde minoribus litteris syllaba *ni*.“ Berg. 10) *proprior* P. — *cotidie* P. R. 11) *perveniet*] Em. Ursin. — *veniet* P. R. 13) *scito* P. a pr. m. 14) *coepero* P. R. Em. Rittersh. 18) *desierit*] Em. Pith. — *desideret* P. — *desiderat* R. — *beneficio utilis*] Gud. em. — *beneficio utilius* P. R. teste Gud. sed *beneficium utilius* teste Vincentio. — *beneficium utile* conj. Pith.

Saepe impetravit veniam confessus reus:
Quanto innocenti justius debet dari?
Tuae sunt partes; fuerunt aliorum prius,
Dein simili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et graviter me tutare judicio tuo.
Excedit animus quem proposuit terminum;
Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sincerae conscius,
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint, requires; apparebunt tempore.
Ego, quondam legi quam puer sententiam,
„Palam mutire plebejo piaculum est,"
Dum sanitas constabit, pulchre meminero.

---

20) *preces existimo*] Em. Gronov. — *preces exis* R. teste Vinc. — *precesexes* R. teste Gud. — *praeceps exis* P. 24) *prius* quod in P. et R. versu 25. post voc. *aliorum* reperitur, a Gudio huc translatum est. 27) *graviter me tutare*] Haec fuisse puto ab initio. — *gratulari me tatare* R. teste Gud. — *gratulari me latere* R. teste Vinc. — *gratulari* (*gratulare* legit Bongars.) *me tacere* P. — *gratulari me fac* conj. Pith. minus latine. 31) *insolentis* P. R. 33) *pueri* P. R. Em. Pith. 34) *piaculum*] Festus in voc. *mutire*, quod jam monuit Bongars. — *periculum* P. R. 35) *memin.* R'. (sic) R. — *memini* P. Em. Bongars.

LIBER QUARTUS.

POËTA AD PARTICULONEM.

Quum destinassem terminum operi statuere
In hoc, ut aliis esset materiae satis,
Consilium tacito corde damnavi meum:
Nam si quis talis est etiam tituli appetens,
Quo pacto demonstrabit, quidnam omiserim,
Ut illud ipsum cupiat famae tradere,
Sua cuique quum sit animi cogitatio
Colorque proprius! Ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
(Quas Aesopias, non Aesopi, nomino,
Paucas ostendit ille, ego plures dissero,
Usus vetusto genere, sed rebus novis;)
Quartum libellum, quum vacarit, perleges.
Hunc obtrectare si volet malignitas,

Prologus hic in cod. P. et R. post. fab. XXVI. (Supersunt etc.) libri IV. collocatus a Brotiero, Schw. et Zellio huc translatus est.

1) *terminum operis habere* P. R. Em. Gud. 3) *meum*, quod in codd. desideratur, add. Bongars. 4) *appetens*, quod idem P. et R. excidit, supplevit Freinshem. 5) *demonstrabit*] Em. Orell. — *damnabit* P. R. — *divinabit* conj. Rig. in ed. II. 6) *illum ipsum cupiam* P. R. Em. Guyet. 8) *proprius*] Rittersh. em. — *prior* P. R. — *propior* conj. Pith. 10) *particula* Em. Pith. — *fabulae* P. R. Em. Pith. 12) *Quasi paucas ille ostendit* P. R. Em. Gud. — *Quia p. ille ost, e. pl. fero* Bentl. conj. — *Aesopias quas, n. Aes. n.: Si p. i. ost., e. pl. sero* conj. Orell. 13) *Usu* P. Em. Pith. 14) *Quartum*] P. R. — *quum vacarit*] Em. Bentl. — *dum*

Imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas verba transfertis mea
Dignumque longa judicatis memoria.
Inlitteratum plausum cur desidero?

I. ASINUS ET GALLI.

Qui natus est infelix, non vitam modo
Tristem decurrit, verum post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria.
Galli Cybebes circum in quaestus ducere
Asinum solebant bajulantem sarcinas.
Is quum labore et plagis esset mortuus,
Detracta pelle sibi fecerunt tympana.
Rogati mox a quodam, delicio suo
Quidnam fecissent? hoc locuti sunt modo:
Putabat se post mortem securum fore;
Ecce aliae plagae congeruntur mortuo.

II. POËTA.

Joculari tibi videmur, et sane levi,
Dum nihil habemus majus, calamo ludimus.
Sed diligenter intuere has nenias:
Quantam sub illis utilitatem reperies!

---

varie P. R. — *dum vacive* conj. Pith. 18) *transferetis* P. R. Em. Pith. 20) *In litterarum plausum ire desidero* P. R. — Em. Scioppius. — *Inlitteratum pl. nec. d.* conj. Freinshem.

Fab. I. 4) *Cybeles* conj. Pith. — *circum in quaestus*] Em. Gud. — *circum questus* P. R. 7) *detracta e pelle* conj. Rittersh. 11) *mortui* P. Gud. Em. Pith.

Fab. II. 1) Sic emendanda cum Tzschuckio censeo, quae sunt in P. et. R.: *Joculare tibi videtur et sane leve.* — *Joculares tibi videntur* conj. Heins. 2) *majus*] Em. Pith. —

Non semper ea sunt, quae videntur: decipit
Frons prima multos; rara mens intellegit,
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus sine mercede existimer,
Fabellam adjiciam de mustela et muribus.
Mustela, quum annis et senecta debilis
Mures veloces non valeret adsequi,
Involvit se farina et obscuro loco
Abjecit neglegenter. Mus escam putans
Adsiluit et compressus occubuit neci.
Alter similiter periit, deinde et tertius.
Aliquot secutis venit et retorridus,
Qui saepe laqueos et muscipula effugerat;
Proculque insidias cernens hostis callidi,
Sic valeas, inquit, ut farina es, quae jaces!

III. DE VULPE ET UVA.

Fame coacta vulpes alta in vinea
Uvam adpetebat summis saliens viribus;
Quam tangere ut non potuit, discedens ait:
Nondum matura est; nolo acerbam sumere.
Qui facere quae non possunt, verbis elevant,
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

---

manu P. R. 4) *sub illis*] Em. Pith. — *subtilis* P. R. 5) *decipit*] Em. Pith. — *despici* P. R. 7) *interiore*] Em. Rittersh. — *inferiore* P. R. 13) *nec legenter* P. R. 14) *adsilit* P. teste Berg. Em. Pith. — *comprensus* conj. Rittersh. 15) *Alt. s. deinde perit et t.* P. R. Em. Bentl. — *Al. s. capitur, deinde et t.* Rom. 16) *Aliquod venit saeculis reterritus* P. R.; in R. *reterritus* deletum et superscr. *retorridus;* in P. a m. sec.: *rete territus*. Emendavit Rigalt. — *Aliquot venit saeculis rete territus* conj. Pith.

Fab. III. 1) *vulpis* P. R. 4) *acervam* P. Gud.

IV. EQUUS ET APER.

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,
Dum sese aper volutat, turbavit vadum.
Hinc orta lis est. Sonipes iratus fero
Auxilium petiit hominis, quem dorso levans
Rediit ad hostem. Jactis hunc telis eques
Postquam interfecit, sic locutus traditur:
Laetor tulisse auxilium me precibus tuis;
Nam praedam cepi et didici quam sis utilis.
Atque ita coëgit frenos invitum pati.
Tum maestus ille: Parvae vindictam reï
Dum quaero demens, servitutem repperi.
Haec iracundos admonebit fabula
Impune potius laedi quam dedi alteri.

V. POËTA.

Plus esse in uno saepe quam in turba boni,
Narratione posteris tradam brevi.
Quidam decedens tres reliquit filias:
Unam formosam et oculis venantem viros;
At alteram lanificam et frugi, rusticam;
Devotam vino tertiam et turpissimam.
Harum autem matrem fecit heredem senex
Sub conditione, totam ut fortunam tribus
Aequaliter distribuat, sed tali modo:
Ne data possideant aut fruantur; tum, simul
Habere res desierint, quas acceperint,
Centena matri conferant sestertia.

Fab. IV. 4 et 5) *petit* — — — — *Redit* P. R. Em. Pith. 5) *hostem laetus. Jactis* P. R. Pith. sustulit v. *laetus*, Rittersh. et Rig. in ed. II. *Jactis*. 6) *interficit* P. teste Berg.

Fab. V. 5) *laneficam* P. — *fruci* Gud. — *lanificam, frugi et rusticam* conj. Heins. 10) *Ne*] Em. Pith. — *ni* P. R. — *dum simul haberi* R. a sec. m. 12) *conferunt*

**Athenas rumor implet. Mater sedula
Juris peritos consulit; nemo expedit,
Quo pacto non possideant, quod fuerit datum,
Fructumve capiant; deinde quae tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.
Postquam consumpta est temporis longi mora,
Nec testamenti potuit sensus colligi,
Fidem advocavit, jure neglecto, parens.
Seponit moechae vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos, glabros;
Lanificae agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, jumenta et instrumentum rusticum;
Potrici plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam et delicatos hortulos.
Sic destinata dare quum vellet singulis
Et adprobaret populus, qui illas noverat,
Aesopus media subito in turba constitit:
O si maneret condito sensus patri,
Quam graviter ferret, quod voluntatem suam
Interpretari non potuissent Attici!
Rogatus deinde solvit errorem omnium.
Domum et ornamenta cum venustis hortulis
Et vina vetera date lanificae rusticae;
Vestem, uniones, pedisequos et cetera
Illi adsignate, vitam quae luxu trahit;
Agros, vites et pecora cum pastoribus
Donate moechae. Nulla poterit perpeti,
Ut moribus quid teneat alienum suis.
Deformis cultum vendet, ut vinum paret;**

P. a sec. m. — *se tertia* P. 15) *quo pacto si non* P. R. Em. Pith. 19) „Inter lineas in Ms. Rem., eadem antiquissima manu, notatur: in alio codice fuit *census*.“ Gud. Vinc. voc. *census* ipsi Codici tribuit. 20) *nec lecto* P. — *neclecto* R. 38) *agros, vites*] Em. Pith. — *agros utiles* P. R. 41) *vinum petat* F. Gronov. conj. — *vinum imperet* Both. conj.

Agros abjiciet moecha, ut ornatum gerat;
At illa gaudens pecore et lanae dedita
Quacunque summa tradet luxuriae domum.
Sic nulla possidebit, quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam
Ex pretio rerum, quas vendiderint singulae.
Ita quod multorum fugit inprudentiam,
Unius hominis repperit sollertia.

VI. PUGNA MURIUM ET MUSTELARUM.

Quum victi mures mustelarum exercitu
(Historia cujus in tabernis pingitur)
Fugerent et artos circum trepidarent cavos,
Aegre recepti tamen evaserunt necem.
Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, ut conspicuum in proelio
Haberent signum, quod sequerentur milites,
Haesere in portis suntque capti ab hostibus;
Quos immolatos victor avidis dentibus
Capacis alvi mersit tartareo specu.
Quemcunque populum tristis eventus premit,
Periclitatur magnitudo principum:
Minuta plebes facili praesidio latet.

---

42) *gerat*] Sic scripsi propterea quod poëtam, qui in altera versus parte verbum mutaverit, id in altera neglexisse nemini facile persuadeas. Nam *paret* quod est in P. et R., a librar. e versiculo antec. repetitum videtur. 44) *summae tradat luxoriae* P. R. Em. Pith. 46) *Et dictam*] Em. Pith. — *Edictam* P. R. 47) *Et pretio* P. Em. Pith.

Fab. VI. 2) *cujus*] Hanc Phaedri manum fuisse apparet; *quojus* antiqua forma in *quorum*, quod est in P. et R., mutatum. 4) *aegri* R. a pr. m. 13) *plebis* P. R. Em. Pith.

VII. PHAEDRUS.

Tu, qui, nasute, scripta destringis mea
Et hoc jocorum legere fastidis genus,
Parva libellum sustine patientia,
Severitatem frontis dum placo tuae
Et in cothurnis prodit Aesopus novis.
Utinam nec unquam Pelii nemoris jugo
Pinus bipenni concidisset Thessala!
Nec ad professae mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladio ratem,
Inhospitalis prima quae Ponti sinus
Patefecit in perniciem Graiûm et Barbarûm!
Namque et superbi luget Aeetae domus
Et regna Peliae scelere Medeae jacent,
Quae saevum ingenium variis involvens modis,
Illic per artus fratris explicuit fugam,
Hic caede patris Peliadum infecit manus.
Quid tibi videtur? Hoc quoque insulsum est, ais,
Falsoque dictum; longe quia vetustior
Aegaea Minos classe perdomuit freta
Justoque vindicavit exemplo impetum.
Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellae te juvant nec fabulae!
Noli molestus esse omnino litteris,

FAB. VII. Index *FEDRUS* P. 1) *destringis*] Em. Rittersh. — *distringis* P. 3) *Par libellum* P. Em. Rigalt. ed. II. — *Parum l.* conj. Pith. — *Parvum l.* conj. Rittersh. — *Parva labellum* conj. Bongars. 5) *En in* conj. Meurs. — *novis*] Em. Pith. — *nobis* P. R. 6) *ne unquam* P. R. Em. Bongars. — *Pelei* P. R. Em. Heins. 12) *Aeetae*] Em. Pith. — *aetate* P. 16) *infecit*] Em. Pith. — *interfecit* P. R. 17) *ait* P. R. Em. Pith. 19) *Aegaea Minos*] Em. Pith. — *Aegre Aminos* P. 20) *impetum*] Em. Pith. — *imperium* P. R. 21) *lector Cato*] Em. Pith. — *lecte reato* P. R. 22) *fabella te jubant* P. R. 25) *qui stultitia*] Bongars.

Majorem exhibeant ne tibi molestiam.
Hoc illis dictum est, qui stultitia nauseant
Et, ut putentur sapere, caelum vituperant.

VIII. SERPENS AD FABRUM FERRARIUM.

Mordaciorem qui inprobo dente adpetit,
Hoc argumento se describi sentiat.
In officinam fabri venit vipera.
Haec quum tentaret, si qua res esset cibi,
Limam momordit. Illa contra contumax,
Quid me, inquit, stulta, dente captas laedere,
Omne adsuëvi ferrum quae conrodere?

IX. VULPES ET CAPER.

Homo in periclum simul ac venit callidus,
Reperire effugium quaerit alterius malo.
Quum decidisset vulpes in puteum inscia
Et altiore clauderetur margine,
Devenit hircus sitiens in eundem locum;

---

em. — *si qui stultitiam* P. R. In R. litt. *tiam* erasae sunt a m. sec.; *stulti* etiam Rigalt. in Ed. II.

Fab. VIII. 4) *si qua spes esset cibi* conj. Heins. — Sed Romuli explicatio: *aliquid ciborum*, verba *aliqua res cibi* genuina esse testatur.

Fab. IX. In cod. P. et R. haec sunt:

IN PERICULUM SIMUL AC VENIT CALLIDUS
VULPIS ET CAPER.
Homo simul ac venit in magnum periculum.

„Qua ex ratione manifestum est, in ἀρχετύπῳ utriusque Codicis vv. *in periculum simul ac venit callidus* tanquam emendationem, (et quidem, ut censeo, poëtae ipsius verba repraesentantem) verborum corruptorum *simul ac venit in magnum periculum* superscripta fuisse: stupor autem librariorum subsequentium haec pro titulo habuit.“ Orell. Emendavit Gud. 2) *Repperire effugium alterius quaerit m.* P. R. teste Gud. Em. Bentl. 10) *vulpicula* P. R. Em. Pith.

Simul rogavit: esset an dulcis liquor
Et copiosus? Illa fraudem moliens:
Descende, amice; tanta bonitas est aquae,
Voluptas ut satiari non possit mea.
Immisit se barbatus. Tum vulpecula
Evasit puteo, nixa celsis cornibus,
Hircumque clauso liquit haerentem vado.

X. DE VITIIS HOMINUM.

Peras imposuit Juppiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus;
Alii simul delinquunt, censores sumus.

XI. FUR ET LUCERNA.

Lucernam fur accendit ex ara Jovis
Ipsumque compilavit ad lumen suum.
Onustus qui sacrilegio quum discederet,
Repente vocem sancta misit Religio:
Malorum quamvis ista fuerint munera
Mihique invisa, ut non offendar subripi,
Tamen, sceleste, spiritu culpam lues,
Olim quum adscriptus venerit poenae dies.
Sed ne ignis noster facinori praeluceat,
Per quem verendos excolit pietas deos,
Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma deûm
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.
Quot res contineat hoc argumentum utiles,

Fab. XI. 3) *qui* sustulit Johnson. 4) *sanctam* P. R. Em. Pith. 5) *munere* P. R. Em. Pith. 8) *poena* P. R. Em. Pith. 10) *verendos*] P. (non *colendos*). 12) *Itaque hodie* P. R. Em. Bongars. — *lucerna* P. R. Em. Pith. 14) *Quod res*

Non explicabit alius, quam qui repperit.
Significat primo saepe, quos ipse alueris,
Tibi inveniri maxime contrarios;
Secundo ostendit scelera non ira deûm,
Fatorum dicto sed puniri tempore;
Novissime interdicit, ne cum malefico
Usum bonus consociet ullius reï.

XII. MALAS ESSE DIVITIAS.

Opes invisae merito sunt forti viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.
Caelo receptus propter virtutem Hercules
Quum gratulantes persalutasset deos,
Veniente Pluto, qui Fortunae est filius,
Avertit oculos. Causam quaesivit pater.
Odi, inquit, illum, quia malis amicus est
Simulque objecto cuncta corrumpit lucro.

XIII. DE LEONE REGNANTE.

Utilius homini nihil est quam recte loqui:
Probanda cunctis est quidem sententia,
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.
Quum se ferarum regem fecisset leo
Et aequitatis vellet famam consequi,
A pristina deflexit consuetudine
Atque inter illas tenui contentus cibo
Sancta incorrupta jura reddebat fide.

P. R. Em. Pith. 18) *secundum* P. R. Em. Rigalt. Vers. 18. et 19, in P. et R. ordine inverso scriptos reposuit Pith.

Fab. XII. 3) *Herculis* R. 5) *Veniente Pluto*] Em. Pith. — *venienti Plutone* P. Gud. et Vinc. in R. videntur reperisse *Pluto*.

Fab. XIII. 1) *nihil est homini* R. a pr. m. 9) *lavare* P. R. Em. Bongars. — *penitentia* P. — *penitentio* Gud.

Postquam labare coepit poenitentiâ,
Mutare quum non posset naturam suam,
Aliquas seduxit in secretum ut falleret.
Ibi quaesivit, os an foeteret sibi.
Quae dixerant putere et quae negaverant,
Laniavit omnes et carne saturatus est.
Hoc quum fecisset multis, ad se simium
Vocatum interrogavit, os an putidum
Haberet. Ille cinnamomo suavius
Olere dixit et deorum altaribus.
Erubuit laudatorem rex ut parceret.
At mox, ut posset laedere, mutavit fidem
Et fraudem quaerens languorem finxit. Statim
Medici venerunt, venarum qui pulsibus
Consideratis, ut valere viderunt,
Ei suaserunt, aliquem sumeret cibum,
Levis qui foret et tolleret fastidium.
Leo deinde, cuncta ut regibus licent:
Ignota est, inquit, simii caro mihi;
Illam gustabo. Sic locutus simium
Statim necavit, escam ut sumeret, improbus.

XIV. PROMETHEUS.

[Rogavit quidam, pellicum unde turpium
Illecebrae dulces ortae essent et subdolae,
Ut fallere amantes possent atque perdere.
Aesopus illi: Coelo pulsus ab Jove
Prometheus homines olim quum terrae novae
Luto finxisset et solis furtim ignibus

Hunc versiculum in P. et R. fabulae sequentis epimythium excipit, nullo defectus signo apposito. Itaque e Rom. et A. reliqua fuerunt supplenda.

Fab. XIV. Hujus fabulae tantum supersunt in codd. versus duo ultimi. E subsequentis initio patet, argumentum deperditae ad Prometheum pertinuisse; quapropter lacuna

Animasset raptis: ille fraudem aegre ferens
Vulcano, ut arte simili effigiem mulieris
Faceret, mandavit. Virginem mox Lemnius
Confinxit. Oris pulchritudinem Venus
Huic impertitur, Hermes injicit vafer
Studium placendi, lanificas artes docet
Minerva et ducit in concilium coelitum.
Mirantur omnes omnium pulcherrime
Ornatam donis. At Pandorae Juppiter
Hominum in perniciem dolium malis dedit
Repletum et misit hac cum dote Epimetheo.
A fratre is frustra praemonitus, ne reciperet,
Forma deceptus luctiferam arsit virginem
Et certi oblitus oracli vas aperuit,
Ex quo beatis quondam terrigenis mala
Fluxerunt cuncta; opertum enim cito manu
Tenuit spem solam miseris in solatium].
Hac fictione est orta et dignae mulieris
Affinitatem traxit inde obscenitas.

XV. IDEM.

Rogavit alter, tribadas et molles mares
Quae ratio procreasset? Exposuit senex:
Idem Prometheus, auctor vulgi fictilis,
(Qui simul offendit ad fortunam, frangitur,)
Naturae partes, veste quas celat pudor,
Quum separatim toto finxisset die,
Aptare mox ut posset corporibus suis,
Ad cenam est invitatus subito a Libero;

---

hac expleta est fabula. 24) E P. et R. haec referuntur corrupta: *a fictione veretri linguam mulieris,* quae nunc emendata sunt. — *affrictione* conj. Bongars.

Fab. XV. 1) *trivadas* P.R. Em. Pith. 5) *partis vestae* P. R. Em. Pith. 8) *invitatus ut subito a liberto* P. (De Rem. non constat.) Em. Pith. 12) *virginali* P. Gud. Em. Pith.

Ubi inrigatus multo venas nectare
Sero domum est reversus titubanti pede,
Tum semisomno corde et errore ebrio
Adplicuit virginale generi masculo
Et masculina membra adplicuit feminis.
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

XVI. DE CAPRIS BARBATIS.

Barbam capellae quum impetrassent ab Jove,
Hirci maerentes indignari coeperunt,
Quod dignitatem feminae aequassent suam.
Sinite, inquit, illas gloria vana frui
Et usurpare vestri ornatum muneris,
Pares dum non sint vestrae fortitudini.
Hoc argumentum monet, ut sustineas tibi
Habitu esse similes, qui sint virtute impares.

XVII. DE FORTUNIS HOMINUM.

Quum de fortunis quidam quereretur suis,
Aesopus finxit consolandi gratia:
Vexata saevis navis tempestatibus,
Inter vectorum lacrimas et mortis metum,
Faciem ad serenam subito ut mutatur dies,
Ferri secundis tuta coepit flatibus
Nimiaque nautas hilaritate extollere.
Factus periclis tum gubernator sophus:
Parce gaudere oportet et sensim queri,
Totam quia vitam miscet dolor et gaudium.

Fab. XVI. 6) *fortitudinis* P. — *fortitudine* R. Em. Rittersh. 8) *sint*] P. De R. non satis constat. — *sunt* conj. Bentl.

Fab. XVII. 5) *ut,* quod om. P. et R., inseruit Bongars. 8) *periclis*] Em. Orell. — *periculosis* P. — *periculo sis* cum linea supra *sis* R. — *periclo* conj. Bongars. 10) *Totam quia*] Em. Pith. — *totam quae* P. — *totamque* Gud.

XVIII. CANUM LEGATI AD JOVEM.

Canes legatos olim misere ad Jovem,
Melioris vitae tempus oratum suae,
Ut sese eriperet hominum contumeliis,
Furfuribus sibi conspersum quod panem darent
Fimoque turpi maximam explerent famem.
Profecti sunt legati non celeri pede,
Dum naribus scrutantur escam in stercore.
Citati non respondent. Vix tandem invenit
Eos Mercurius et turbatos adtrahit.
Tum vero vultum magni ut viderunt Jovis,
Totam timentes concacarunt regiam;
Propulsi vero fustibus vadunt foras.
Vetat dimitti magnus illos Juppiter.
Mirati sibi legatos non revertier,
Turpe aestimantes aliquid commissum a suis,
Post aliquod tempus alios adscribi jubent.
Rumor legatos superiores prodidit.
Timentes rursus aliquid ne simile accidat,
Odore canibus anum sedulo replent.
Mandata dant: legati mittuntur, statim
Abeunt. Rogantes aditum, continuo impetrant.
Consedit genitor tum deorum maximus
Quassatque fulmen: tremere coepere omnia
Canes confusi, subitus quod fuerat fragor,

Fab. XVIII. *CANUM LEGATI*] Ex em. Pith. — *CANES LEGATOS* P. R. 2) *meliora vitae tempora* conj. Ursin. 3) *ut*] Burm. em. — *uti* P. — *abriperet* P. R. teste Vinc. — *ariperet* R. teste Gud. Em. Gud. 4) *consparsum* P. R. Em. Schw. — *daret* P. R. Em. Pith. 14) *mirari* P. R. Em. Pith. 15) *aliquod* P. R. Em. Pith. 16) *adsciri* R. teste Gud. Vinc. nihil notavit. 19) *sedulo*] Em. Both. — *sed multo* P. R. 20) *Mandant dimittuntur statim* P. R. Em. Rigalt. in Ed. II. 21) *Adeunt* P. R. Em. Scheff. 24) *Canes* (in R. *canis* a pr. m. teste Gudio) *confusus subito quod* P. R.

Repente odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes, vindicandam injuriam.
Sic est locutus ante poenam Juppiter:
Legatos non est regis non dimittere,
Nec est difficile poenas culpae imponere;
Sed hoc feretis pro judicio praemium:
Non veto dimitti, verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non possint suum.
Illi autem, qui miserunt vos tam futiles,
Nunquam carebunt hominis contumelia.
Ita nunc legatos exspectans ex posteris
Novum venire qui videt, culum olfacit.

XIX. SERPENS. MISERICORDIA NOCIVA.

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.
Gelu rigentem quidam colubram sustulit
Sinuque fovit, contra se ipse misericors;
Namque ut refecta est, necuit hominem protinus.
Hanc alia quum rogaret causam facinoris,
Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

XX. VULPES ET DRACO.

Vulpes, cubile fodiens, dum terram eruit
Agitque plures altius cuniculos,

Em. Gud. 25) *mixto* P. R. Em. Pith. 28) *Non est legatos regis* P. R. Em. Gud. 30) Sic P. R. Schw., praeeunte Desbillonio, hunc vers. post nostrum v. 32. collocavit scripsitque: *Et hoc feretis* cet. 35 et 36) *exspectans ex posteris Novum venire qui*] Haec latere videntur in verbis: *exspectantes posteros Nov. v. quum* P. et: *exspectantes posteri N. v. quum* R. — *exspectant et posteri. N. v. qui* Rigalt. conj. — *exspectantes posteri N. v. cum vident, culum olfaciunt.* Bongars. conj.

Fab. XIX. 4) *necuit*] Em. Pith. — *nocuit* P. R.

Fab. XX. 1) *Vulpes*] N. — *vulpis* P. R. Sic etiam in

Pervenit ad draconis speluncam ultimam,
Custodiebat qui thesauros abditos.
Hunc simul aspexit: Oro, ut inprudentiae,
Des primum veniam; deinde si pulchre vides,
Quam non conveniens aurum sit vitae meae,
Respondeas clementer. Quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum est praemium,
Ut careas somno et aevum in tenebris exigas?
Nullum, inquit ille, verum hoc a summo mihi
Jove adtributum est. Ergo nec sumis tibi
Nec ulli donas quicquam? Sic fatis placet.
Nolo irascaris, libere si dixero:
Dîs est iratis natus, qui est similis tibi.

Abiturus illuc, quo priores abierunt,
Quid mente caeca miserum torques spiritum?
Tibi dico, avare, gaudium heredis tui,
Qui ture superos, ipsum te fraudas cibo;
Qui tristis audis musicum citharae sonum;
Quem tibiarum macerat jucunditas;
Opsoniorum pretia cui gemitum exprimunt;
Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
Caelum fatigas sordido perjurio;
Qui circumcidis omnem impensam funeri,
Libitina ne quid de tuo faciat lucri.

---

indice. 3) *ultimam*] P. R. — *intimam* N. 8) *rapis* N. 11) *hoc a summo*] N. teste Jannell. — om. *a* P. 21) *jocunditas* P. R. N. 22) *Opsoniorum*] N. — *obsoniorum* P. — *gemitus* N. 23) *quadrante augeas patrimonia* N. 25) *funeri*] N. — *funeris* P. R. 26) *Libitina ne*] N. — *Libet inane* P. R. teste Gud. — *Libetina ne* R. teste Vinc. — *lucri*] N. — *lucrum* P. R. — N. cohortationem (v. 16—26.) initio posuit, tum versum addidit hunc: *Fabellae nostrae parum* (id est: *paulum*) *aures accommoda*, cui fabulam ipsam (v. 1—15.) subjunxit.

XXI. PHAEDRUS.

Quid judicare cogitet livor modo,
Licet dissimulet, pulchre tamen intellego.
Quicquid putabit esse dignum memoria,
Aesopi dicet; si quid minus adriserit,
A me contendet fictum quovis pignore.
Quem volo refelli jam nunc responso meo:
Sive hoc ineptum sive laudandum est opus,
Invenit ille, nostra perfecit manus.
Sed exsequamur coeptum propositi ordinem.

XXII. DE SIMONIDE.

Homo doctus in se semper divitias habet.
Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circuire coepit urbes Asiae nobiles,
Mercede accepta laudem victorum canens.
Hoc genere quaestus postquam locuples factus est,
Redire in patriam voluit cursu pelagio;
(Erat autem natus, ut ajunt, in Cea insula:)
Ascendit navem, quam tempestas horrida
Simul et vetustas medio dissolvit mari.

Fab. XXI. 1) *Quo judicare* conj. Both. — *cogitur libor* P. Gud. Em. Pith. 2) *dissimilet* P. 3) *memoria*] N. — *memoriae* P. R. — N. initium fabulae hoc habet: *Heu quantus est semper mortalium livor! Sunt qui quidquid putant dignum memoria, Aesopi dicunt;* — 5) *contendunt* N. 6) *Quos* N. Prius Perottus scripserat *quem,* deinde adhibita correctione *quos,* quod manifestum interpolationis est indicium. 9) *propositum* P. R. Em. Pith. Om. hunc v. N.

Fab. XXII. 1) Vers 1. om. N. 4) *Circumire* P. R. N. Ejecit *m* Burm. 6) *factus*] N. — *factum* P. R. 7) *Redire*] N. — *venire* P. R. — *pelagi* P. R. Em. Bongars. — Omisit N. voc. *cursu pel.* 8) *Cea*] Em. Gud. — *Schia* P. teste Bergero (*Sithia* P. testib. Pith. et Bong.) — *Chia* R. Ver-

Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitae. Quidam curiosior:
Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierant.
Praedones adsunt, rapiunt, quod quisque extulit,
Nudos relinquunt. Forte Clazomenae prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hîc litterarum quidam studio deditus,
Simonidis qui saepe versus legerat
Eratque absentis admirator maximus,
Sermone ab ipso cognitum cupidissime
Ad se recepit; veste, nummis, familia
Hominem exornavit. Ceteri tabulam suam
Portant, rogantes victum. Quos casu obvios
Simonides ut vidit: Dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta; vos quod rapuistis, perît.

XXIII. MONS PARTURIENS.

Mons parturibat, gemitus immanes ciens,
Eratque in terris maxima exspectatio.
At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi,
Qui, magna quum minaris, extricas nihil.

---

siculus hic a Perotto praetermissus Orellio suspectus est. 10) *Simul vetustas* N. 11) *Hii* P. R. Ad vers. reliquos nihil enotavit e Rem. Vincent. 13) *nihil* P. Em. Rigalt. — *Simonide, inquit, tu nihil ex istis sumis?* N. 15) *Nam plures — — perierunt* N. 18) *Natiqua* P. 20) *verus* P. Gud. 22) *Sermone ipso* N. 23) *receptum* N. 25) *Portant*] N. et conj. Gud. — *poriant* P. a pr. m. Gud. — *porrigunt* P. a sec. m. — *obrios*] N. — *obvius* P. 26) *dixi*] N. *dixit* P. Gud. 27) *periit* N.

Fab. XXIII. 2) Post v. *exspectatio* in P. irrepsit notula haec: *Quid ille pareret,* quae verba jam a Rigalt. in Ed. III. sublata sunt.

XXIV. FORMICA ET MUSCA.

Formica et musca contendebant acriter,
Quae pluris esset. Musca sic coepit prior:
Conferre nostris tu potes te laudibus?
Ubi immolatur, exta praegusto deûm;
Moror inter aras, templa perlustro omnia.
In capite regis sedeo, quum visum est mihi,
Et matronarum casta delibo oscula.
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit, rustica?
Est gloriosus sane convictus deûm,
Sed illi, qui invitatur, non qui invisus est.
Reges commemoras et matronarum oscula.
Ego granum in hiemem quum studiose congero,
Te circa murum pasci video stercore.
Aras frequentas: nempe abigeris, quo venis.
Nihil laboras: ideo quum opus est, nil habes.
Super etiam jactas, tegere quod debet pudor.
Aestate me lacessis; quum bruma est, siles.
Mori contractam quum te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumem domus,
Satis profecto rettudi superbiam.
Fabella talis hominum discernit notas
Eorum, qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

Fab. XXIV. P. et R. fabulam a versu: *Nihil agere, quod non prosit, fabella indicat.*, e l. III. 17, 13. repetito incipiunt. In N. non reperitur; jam a Rigalt. repudiatus est. 3) *Conferre*] N. — *conferri* P. Gud. 9) *contigit* N. 10) *plane* N. 14) *pasci video*] N. — *video pasci* P. R. 15) *abieris* N. 16) *nihil habes* P. Em. Pith. — *ideoque nihil habes* N. 17) *superba jactas* conj. Pith. — *debet*] N. — *debes* P. R. — Versus 12 — 17. Rigalt., Desbill., Schw. sic transposuerunt: 15, 12, 17, 16, 13, 14; alii aliter. Nos secuti sumus codd. P. R. N. 18) *cur bruma siles?* N. 21) *rettudi*] P. — *retrudi* R. teste Vinc. — *profector et tudi* teste Gud.

XXV. POËTA.

Quantum valerent inter homines litterae,
Dixi superius: quantus nunc illis honos
A superis sit tributus, tradam memoriae.
Simonides idem ille, de quo rettuli,
Victori laudem cuidam pyctae ut scriberet,
Certo conductus pretio secretum petît.
Exigua quum frenaret materia impetum,
Usus poëtae more est et licentia
Atque interposuit gemina Ledae sidera,
Auctoritatem similis referens gloriae.
Opus adprobavit; sed mercedis tertiam
Accepit partem. Quum relicuam posceret:
Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudis duae.
Verum, ut ne irate te dimissum sentiant,
Ad cenam mihi promitte; cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis et dolens injuria,
Ne male dimissus gratiam corrumperet,
Promisit. Rediit hora dicta, recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium;

Fab. XXV. 4) *Sim. ille supra de quo retuli* N. omissis vers. qui antecedunt. 5) *Victori*] N. — *Victoris* P. R. — *laudes* N. — *pyctae*] N. — *pictae* P. R. 6) *conductus*] Em. Bentl. — *conduxit* P. R. N. quod et mihi placeret, si additum esset: *pretio, et sec. p.* — *condixit* conj. *Rittersh.* 8) *Usus poëtae moris est licentia* P. R. — *Usus poëtae more et licentia est* N. Em. Burm. — *Usus poëtae, ut moris est, licentia* (Salmas. distinguit: *ut moris, est l.*) Rigalt. 9) *Laede* P. R. 10) *Auctores aptae* (*apte* em. Burm.) *similis* N. 11) *adprobabit* P. a pr. m. R. 12) *relicuam*] Em. Bongars. — *reliquam* P. R. — *reliquum* N. 13) *laudes duae* P. R. Em. Scheff. — *partes duae* N. ex interpol. 14) *ut ne irate te dimissum* (*demissum* P.) *sentiam* P. R. — *ut sine ira te dimissum sentiant* N. — *censeas* conj. Heins. 15) *Ad c. mecum veni* N. ex interpol. 18) *dimissam* P. R. N. Em. Gud. 20) *populis* N. 21) Om.

Magno apparatu laeta resonabat domus,
Repente duo quum juvenes sparsi pulvere,
Sudore multo diffluentes, corpore
Humanam supra formam, cuidam servulo
Mandant, ut ad se provocet Simonidem;
Illius interesse, ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem,
Unum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camarae subito oppressit ceteros;
Nec ulli juvenes sunt reperti ad januam.
Ut est vulgatus ordo narratae reï,
Omnes scierunt numinum praesentiam
Vati dedisse vitam mercedis loco.

XXVI. POËTA AD PARTICULONEM.

Adhuc supersunt multa, quae possim loqui,
Et copiosa abundat rerum varietas;
Sed temperatae suaves sunt argutiae,
Immodicae offendunt. Quare, vir sanctissime,
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium litteris,
Si non ingenium, certe brevitatem adproba,
Quae commendari tanto debet justius,
Quanto poëtae sunt molesti validius.

---

hunc v. N. 22) *Repente duo quum*] N. — *R. quum duo* P. R. 23) *diffluentes corpora* P. R. Em. Scheff. — diffl.... (6 syll. evan.) N. 24) *supra speciem* N. 25) *provocet*] N. — *provocent* P. R. — Vers. 26. et 27. om. N.; vers. 28. in P. et R. transpositus est ante v. 27.: *Homo* etc. 28) *promorat*] N. — *promoverat* P. R. 29) *Ruina domus* N. 30) *repperti* P. a pr. m. R. 32) *Omnes dixerunt* N.

Epil. hic in P. et R. post fab. 5. libri V. reperitur; Brotier recte huc transtulit. 3) *temperate* P. 4) *immodica* P. R. Em. Rittersh. 5) *chartis*] Em. Pith. — *artis* P. R. 7) *adprobat* P. R. Em. Pith.

LIBER QUINTUS.

IDEM POËTA.

Aesopi nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi jam pridem quicquid debui,
Auctoritatis esse scito gratia:
Ut quidam artifices nostro faciunt seculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori adscripserunt Praxitelen suo,
Trito Myronem argento, tabulae Zeuxidem.
Adeo fucatae plus vetustati favet
Invidia mordax quam bonis praesentibus.
Sed jam ad fabellam talis exempli feror:

I. DEMETRIUS REX ET MENANDER POËTA.

Demetrius, qui dictus est Phalerëus,
Athenas occupavit imperio improbo.
Ut mos est vulgi, passim et certatim ruit
„Feliciter!" succlamans. Ipsi principes
Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum,

In P. hic liber a quarto non distinguitur. Pithoeus arbitratu suo interposuit: *Incipit liber V.*, quam distinctionem confirmavit Cod. R., ut est videre in fine hujus libri.

2) *reddi* P. R. Em. Pith. 6) *Praxitelen*] P. R. — *Praxitelem* scrips. Zell. 7) *Trito*] Em. Burm. — *Detrito* P. R. — *tabulae Zeuxidem*] Em. Bentl., qui totum locum sic refecit: *Praxitelen, Scopan Aeri, Myronem argento, tabulae Zeuxidem.* — *fabulae exaudiant* P. R. 8) *Adeo fucatae*] Em. J. F. Gronov. — *adeo fugatae* P. R. — *Semper fugatae* N. V. — *Ideo fuscatae* conj. Desbill. — *vetustati*] N. V. — *vetustis* P. R. — *Fabulae exaudiant Adeo fugatae. Plus vetustis nam favet* Pith. conj

Fab. I. 4) *succlamans*] Em. Burm. — *succlamant* P. R. N. (hinc Pith. vers. 1. *ruunt* conj.) — *subclamant* P.

Tacite gementes tristem fortunae vicem.
Quin etiam resides et sequentes otium,
Ne defuisse noceat, repunt ultimi;
In quîs Menander, nobilis comoediis,
Quas ipsum ignorans legerat Demetrius
Et admiratus fuerat ingenium viri,
Unguento delibutus, vestitu fluens,
Veniebat gressu delicato et languido.
Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine:
Quisnam cinaedus ille in conspectu meo
Audet venire? Responderunt proximi:
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim:
Homo, inquit, fieri non potest formosior.
Humanum saepe sic judicium fallitur.

II. VIATORES ET LATRO.

Duo quum incidissent in latronem milites,
Unus profugit, alter autem restitit
Et vindicavit sese forti dextera.
Latrone occiso timidus accurrit comes
Stringitque gladium, dein rejecta paenula:
Cedo, inquit, illum; jam curabo sentiat,

---

a sec. m. — *subclamat* conj. Bentl. 6) *taciti* N. 8) *ne*] Em. Pith. *ni* R. P. — *repunt*] N. — *repetunt* P. R. 11) *miratus* P. a pr. m. 12) *dilibutus* P. — *fluens*] N. — *afluens* P. *affluens* R. — *effluens* conj. Gronov. 13) *gresso* P, Gud. 15) *Quinam* conj. Pith. — *in conspectum meum* N. 17) *mutatus statim;* his verb. fabula in P. et R. abrumpitur. Vers. seq. servavit Perottus. 18) *potest f . . m . s . . .* N. Jannellius suppl.: *formosior*. Idem in promythio Perottino; *Quomodo saepe fallatur hominum judicium* epimythium, quod v. 19. legitur, latere suspicatus est.

Fab. II. 1 et 2) Hi vers. exciderunt e P. et R.; eos servavit N. 3) *vindicabit* P. R. Em. Pith. 4) *exciso* N. 5) *dein*] Em. Pith. — *deinde* P. R. N. 9) Hunc v. non

Quos attentarit. Tunc, qui depugnaverat:
Vellem istis verbis saltem adjuvisses modo;
Constantior fuissem vera existimans.
Nunc conde ferrum et linguam pariter futilem,
Ut possis alios ignorantes fallere.
Ego, qui sum expertus, quantis fugias viribus,
Scio, quam virtuti non sit credendum tuae.
Illi adsignari debet haec narratio,
Qui re secunda fortis est, dubia fugax.

III. CALVUS ET MUSCA.

Calvi momordit musca nudatum caput;
Quam opprimere captans alapam sibi duxit gravem.
Tunc illa inridens: Punctum volucris parvulae
Voluisti morte ulcisci; quid facies tibi,
Injuriae qui addideris contumeliam?
Respondit: Mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuisse mentem laedendi scio.
Sed te, contempti generis animal improbum,
Quae delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare vel majore incommodo.
Hoc argumentum veniam ei dari docet,
Qui casu peccat. Nam qui consilio est nocens,
Illum esse quamvis dignum poena judico.

---

habet N. 13) *quam*] N. — *quid* P. R. — omisit *non* N.; idem, ut solet, epimythium abjecit.

FAB. III. 2) *oppremere* P. a pr. m. R. 3) *Hunc illa* N. — *ridens* A. 5) *qui addideris*] N. Rig. conj. — *quia dederis* P. R. 7) *Nam non* N. 8) *contemsi* P. Gud. Em. Pith. 10) *Optem carere* N. 11 et 12) *veniam dari d. Q. c. p. quam qui* P. R. Em. Rigalt. — *veniam mage d. d. Q. c. p. quam qui c. e. n.* conj. Pith. 13) *quavis* conj. Rittersh. Ex epimythio Perottus promythium effinxit hoc: *His qui casu peccant dandam esse veniam; qui vero consulto delinquunt, eos esse puniendos.*

IV. ASINI ET PORCELLI.

Quidam immolasset verrem quum sancto Herculi,
Cui pro saluti votum debebat sua,
Asello jussit reliquias poni hordei.
Quas aspernatus ille sic locutus est:
Libenter istum prorsus appeterem cibum,
Nisi, qui nutritus illo est, jugulatus foret.
Hujus respectu fabulae deterritus
Periculosum semper vitavi lucrum.
Sed dicis: Qui rapuere divitias, habent.
Mumeremus agedum, qui deprensi perierunt.
Majorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

V. SCURRA RUSTICUS.

Pravo favore labi mortales solent
Et, pro judicio dum stant erroris sui,
Ad poenitendum rebus manifestis agi.
Facturus ludos quidam dives nobiles
Proposito cunctos invitavit praemio,
Quam quisque posset ut novitatem ostenderet.
Venere artifices laudis ad certamina;
Quos inter scurra, notus urbano sale,

FAB. IV. 1) *Quidam quum immolasset verrem sancto Herculi* N. 2) *qui pro* P. R. Em. Pith. 5) *Libenter istum prorsus*] N. et Bentl. conj. — *Libenter tuum prorsus* P. Gud. 7) Epimythium a versu 7. om. N. 8) *vitavi*] P. teste Berg. Idem Rigalt. sine dubio e Rem. — *reputavi* conj. Pith. 10) *deprehensi* P. Em. Burm. — *perierunt*] P. Gud. — *perierint* conj. Pith. 12) *bono est* P. R. Transposuit Pith.

FAB. V. 1) *Pravo*] N. et Rigalt. conj. — *parvo* P. R. — *lavi* P. R. 4) *quidam dives nobilis* P. R. Em. Scheff. — *dives quidam et nobilis* N. 6) *posset*] N. — *possit* P. Gud. — *novitatem faceret* N. 8) *scurra unus urb.* N. 11) *con-*

Habere dixit se genus spectaculi,
Quod in theatro nunquam prolatum foret.
Dispersus rumor civitatem concitat.
Paullo ante vacua turbam deficiunt loca,
In scena vero postquam solus constitit
Sine apparatu, nullis adjutoribus,
Silentium ipsa fecit exspectatio.
Ille in sinum repente demisit caput
Et sic porcelli vocem est imitatus sua,
Verum ut subesse pallio contenderent
Et excuti juberent. Quo facto simul
Nihil est repertum, multis onerant laudibus
Hominemque plausu prosequuntur maximo.
Hoc vidit fieri rusticus. Non me Hercule
Me vincet, inquit: et statim professus est
Idem facturum melius se postridie.
Fit turba major. Jam favor mentes tenet
Et derisurus, non spectaturus, silet.
Uterque prodit. Scurra degrunnit prior
Movetque plausus et clamores suscitat.
Tunc simulans sese vestimentis rusticus
Porcellum obtegere, (quod faciebat scilicet,
Sed, in priore quia nil compererant, latens:)
Pervellit aurem vero, quem celaverat,

---

vocat N. 12) *vacua*] N. — *vacuam* P. R. — *turba* N. 16) *dimisit* P. Em. Pith. 17) *porcellum voce imitatus est sua* N. 18) *contenderent*] N. — *contenderet* P. R. 20) *laudibus*] N. et Pith. conj. — *lancibus* P. R. 22) *mehercule* P. R. — *mehercules* N. 25) *favore* R. 26) *Et derisuros non exspectaturos sit et* P. R. (hic Gudio teste spectaturos). Em. Orell. — *Et derisurus non secuturus sedet* N. — *Et derisuri, non spectaturi sedent* conj. Pith. 27) *degrunnit*] N. — *digrunnit* P. 28) *clamorem* N. 29) *Tum* N. — *rusticus*] N. — *rusticis* P. R. 31) *nihil* P. R. Em. Pith. — *compererat* P. R. Em. Rigalt. — Omittit hunc vers. N. 32) *aurem porco* N. 34) *scurram*] N. —

Et cum dolore vocem naturae exprimit.
Adclamat populus scurram multo similius
Imitatum, et cogit rusticum trudi foras.
At ille profert ipsum porcellum e sinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans:
En hic declarat, quales sitis judices!

VI. CALVUS ET QUIDAM PILIS DEFECTUS.

Invenit calvus forte in trivio pectinem.
Accessit alter, aeque defectus pilis.
Heia! inquit, in commune quodcunque est lucri.
Ostendit ille praedam et adjecit simul:
Superûm voluntas favit; sed fato invido
Carbonem, ut ajunt, pro thesauro invenimus.
Quem spes delusit, huic querēla convenit.

VII. PRINCEPS TIBICEN.

Ubi vanus animus aura captus frivola
Adripuit insolentem sibi fiduciam,
Facile ad derisum stulta levitas ducitur.
Princeps tibicen notior paullo fuit,
Operam Bathyllo solitus in scena dare.
Is forte ludis (non satis memini quibus)
Dum pegma rapitur, concidit casu gravi
Nec opinans, et sinistram fregit tibiam,
Duas quum dextras maluisset perdere.
Inter manus sublatus et multum gemens

---

scurra P.R. 36) *profert*] N. — *proferet* P. R. — *e sino* P.R. Emend. Pith. — *de sinu* N. 37) *errorem exprobrans* N.

Fab. VI. 3) *in*, quod omittunt P. et R., addidit Gronov. 6) *thensauro* Gud. 7) *querele* P. Em. Pith.

Fab. VII. *PROCAX T.* P.R. Em. Bong. 2) *Abripuit* P. Em. Rigalt. 3) *et stulta* P. R. Ejecit *et* Pith. 8) *nec opia sed* P. R. Em. Pith. — *nec opinus et* conj. Nevel.

Domum refertur. Aliquot menses transeunt,
Ad sanitatem dum venit curatio.
Ut spectatorum mos est et lepidum genus,
Desiderari coepit, cujus flatibus
Solebat excitari saltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobilis
Et incipiebat Princeps a duce ingredi.
Reductum pressit precibus, ut tantummodo
Ipso ludorum ostenderet sese die.
Qui simul advenit, rumor de tibicine
Fremit in theatro. Quidam adfirmant mortuum,
Quidam in conspectum proditurum sine mora.
Aulaeo misso, devolutis tonitribus
Dî sunt locuti more translaticio.
Tunc chorus ignotum modo reducto canticum
Insonuit, cujus haec fuit sententia:
„Laetare, incolumis Roma, salvo Principe!“
In plausus consurrectum est. Jactat basia
Tibicen; gratulari fautores putat.
Equester ordo stultum errorem intellegit
Magnoque risu canticum repeti jubet.
Iteratur illud. Homo meus se in pulpito
Totum prosternit. Plaudit inludens eques;
Rogare populus hunc coronam existimat.

---

11) *aliquod menses transent* P. 17 et 18) Haec sine dubio fuerunt, quae corrupta habent P. et R. sic: *Et incipiebat Princeps abduci reum ingredi a se reducit pretio pretibus ut tantummodo.* Voc. *reum* et *a se* e voc. *iterum* et *ad se* explic. causa adjectis nata. — *Et in. P. ingredier. Eum Adducit pretio, precibus, ut tantummodo* conj. Rigalt. — *Et in. ingredi Princeps. Eum Adducit pretio, precibus, ut t.* conj. Ursin. 21) *fremet* P. Em. Pith. 23) *tonitrubus* conj. Pith. 24) *Dii* P. Em. Burm. 25 et 26) Sic Orell. composuit conj. Gud. *modo reducto* et Freinshemii *insonuit.* — *Tunc chorus ignotum more ducto canticum Imposuit* P. R. — *Tunc chorus, ignotum et modo reducto canticum Im-*

Ut vero cuneis notuit res omnibus,
Princeps, ligato crure nivea fascia,
Niveisque tunicis, niveis etiam calceis,
Superbiens honore divinae domus,
Ab universis capite est protrusus foras.

VIII. TEMPUS.

Cursu volucri, pendens in novacula,
Calvus, comosa fronte, nudo corpore,
Quem si occuparis, teneas; elapsum semel
Non ipse possit Juppiter reprehendere,
Occasionem rerum significat brevem.
Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem Temporis.

IX. TAURUS ET VITULUS.

Angusto in aditu taurus luctans cornibus,
Quum vix intrare posset ad praesepia,
Monstrabat vitulus quo se pacto plecteret.
Tace, inquit, ante hoc novi, quam tu natus es.
Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

X. CANIS ET SUS ET VENATOR.

Adversus omnes fortis veloces feras
Canis quum domino semper fecisset satis,
Languere coepit annis ingravantibus.

---

posuit Desbill. conj. 34) *aestimat* P. R. Em. Pith. 38) *honore divinae*] Em. Grut. — *honorem vidit div.* P. R. 39) *protusus* P.

Fab. VIII. 4) *reprendere* scripsit Rigalt. Ed. I.

Fab. IX. 3) *flecteret* conj. Bongars. 4) *tu,* quod in P. et R. desideratur, addidit Pith.

Fab. X. *SUS*] Em. Orell. — *ET SERVUS* P. — *SERVUS* R. 1) *fortes et veloces* P. R. Em. Pith. 2) *quum*]

Aliquando objectus hispidi pugnae suis
Adripuit aurem: sed cariosis dentibus
Praedam dimisit. Hîc tunc venator dolens
Canem objurgabat. Cui latrans contra senex:
Non te destituit animus, sed vires meae.
Quod fuimus, laudasti; jam damnas, quod sumus.
Hoc cur, Philete, scripserim, pulchre vides.

Em. Pith. — *dum* P. R. — *ingrabantibus* P. R. 6) *tum* conj. Rigalt. 7) *senex contra latrans* P. R. Em. *Broukhus.* — *contra senex Lacon* conj. Bentl. 9) Sic ad verba A. et Romul. e Burm. conj. Schw. — *Quod fuimus laudas, jam damnas quod sumus* P. R. — *Quod fuimus lauda, si jam damnas, quod sumus.* conj. Gud. 10) *Philete, scripserim*] Em. Gud. *Filite scr.* P. — *file descripserim* R. — *pulchrae* P. R. In fine: *Phaedri Aug. liberti Liber quintus explicit feliciter.* R.

LIBER SEXTUS.

FABULAE NOVAE.

I. SIMIUS ET VULPES.

Vulpem rogabat partem caudae simius,
Contegere honeste posset ut nudas nates;
Cui sic maligna: Longior fiat licet,
Tamen illam citius per lutum et spinas traham,
Quam partem quamvis parvam impertiar tibi.
Avarus etiam quod superest non dat libens.

II. AUCTOR.

Arbitrio si natura finxisset meo
Genus mortale, longe foret instructius:
Nam cuncta nobis attribuisset commoda,
Quaecunque indulgens Fortuna animali dedit:
Elephanti vires, et leonis impetum,
Cornicis aevum, gloriam tauri trucis,
Equi velocis placidam mansuetudinem,
Et adesset homini sua tamen sollertia.
Nimirum in caelo secum ridet Juppiter,
Haec qui negavit consilio magno hominibus,
Ne sceptrum mundi raperet nostra audacia.
Ergo contenti munere invicti Jovis,

Fab. I. Post fabulae indicem in N. et V. haec scripta sunt: *Avarum etiam quod sibi superest non libenter dare,* unde epimythium restitui. v. 5) *Quam tibi impartiar parvam quamvis partem* N. V. Emend. Cassit. *Q. parv. quamvis part. impertiar t.* Conj. Jannell.

Fab. II. *Non esse plus aequo petendum* N. et V. post indicem. 4) *Fortuna indulgens* N. V. Em. Cassitus. 6) *Cornicis aevum*] Em. ita Cass. Mai. *Corpus in aevum*

Fatalis annos decurramus temporis,
Nec plus conemur quam sinit mortalitas.

III. MERCURIUS ET DUAE MULIERES.

Mercurium hospitio mulieres olim duae
Illiberali et sordido receperant:
Quarum una in cunis parvum habebat filium,
Quaestus placebat alteri meretricius.
Ergo ut referret gratiam officiis parem,
Abiturus et jam limen excedens ait:
Deum videtis; tribuam vobis protinus,
Quod quaeque optarit. Mater suppliciter rogat,
Barbatum ut videat natum quam primum suum;
Moecha, ut sequatur sese quicquid tetigerit.
Volat Mercurius, intro redeunt mulieres.
Barbatus infans ecce vagitus ciet:
Id forte meretrix quum rideret validius,
Nares replevit humor, ut fieri solet:
Emungere igitur se volens prendit manu
Traxitque ad terram nasi longitudinem,
Et alium ridens ipsa ridenda exstitit.
Docet plus aequo non petendum fabula.

N. V. 10) *magno hominibus*] Sic metri causa scripsi. — *magno consilio hominibus* N. V. — *m. c. homini* conj. Cassit. — *m. c. tibi* conj. Both. Proceleusmaticum defendit Jannellius.

Fab. III. *De eodem alia fabella* N. V. post indicem. 1) *olim* quod om. N. et V. addidit Cass. *Mercurius quondam h. m. d.* Jann. 13) *Id quum forte meretrix ridet validius* N. V. — *rideret* Jan. In hoc Jan. secutus sum, verbis *Id q. f. m.* metri causa transpositis — *Ideo quum forte m. ridet validius Nares replentur humore* Both. medela usus vehementiore. *Ideo q. f. m. rideret validius* Zellius metro invito. 18) Epimythium in verbis fabellae antecedenti praepositis quaerendum esse e verbis: *de eodem alia fabella,* satis apparet. In N. et V. deest.

IV. PROMETHEUS ET DOLUS.

Olim Prometheus seculi figulus novi
Cura subtili Veritatem fecerat,
Ut jura posset inter homines reddere.
Subito accersitus nuntio magni Jovis
Commendat officinam fallaci Dolo,
In disciplinam nuper quem receperat.
Hic studio accensus, facie simulacrum pari,
Una statura, simile et membris omnibus,
Dum tempus habuit, callida finxit manu.
Quod prope jam totum mire quum positum foret,
Lutum ad faciendos illi defecit pedes.
Redit magister, quo festinanter Dolus
Metu turbatus in suo sedit loco.
Mirans Prometheus tantam similitudinem,
Propriae videri voluit artis gloriam.
Igitur fornaci pariter duo signa intulit;
Quibus percoctis atque infuso spiritu,
Modesto gressu sancta incessit Veritas;
At trunca species haesit in vestigio.
Tunc falsa imago atque operis furtivi labor
Mendacium appellatum est; quod negantibus
Pedes habere facilis est consensio.
Simulata interdum vitio prosunt hominibus,
Sed tempore ipso tamen apparet veritas.

Fab. IV. *De veritate et mendacio* N. V. post indicem. 1) *novi figulus* N. V. Em. Jan. 2) *Cura*] Vat. — *Creta* N. 12) *quo festinante* N. V. Em. Both. — *festinante quo* Jan. et Cass. 22) *facilis est consensio*] Sic emendavi. Explica: *negantibus*, id est, si quis negat, mendacium *gantibus* men. p. habere, *est facilis*. — *facile ipse consentio* pedes habere, facile consentimus; vel: *consensio ne-* N. V. numeris neglectis. — *facile ipse id consentio* conj. Jan. et Orell. Post v. 22. in N. et V. primum titulus: *AUCTOR.;* deinde: *Nihil diu occultum.* His denique verbis subjunguntur versiculi duo, qui hic sunt 23 et 24. Angelus

V. AUCTOR.

Ixion quod versari narratur rota,
Volubilem Fortunam jactari docet.
Adversus altos Sisyphus montes agit
Saxum labore summo, quod de vertice,
Sudore semper irrito, revolvitur;
Ostendit hominum sine fine esse miserias.
Quod stans in amne Tantalus medio sitit,
Avari describuntur, quos circumfluit
Usus bonorum, sed nil possunt tangere.
Urnis scelestae Danaides portant aquas,
Pertusa nec complere possunt dolia;
Immo, luxuriae quicquid dederis, perfluet.
Novem porrectus Tityos est per jugera,
Tristi renatum suggerens poenae jecur;
Quo quis majorem possidet terrae locum,
Hoc demonstratur cura graviore adfici.
Consulto involvit veritatem antiquitas,
Ut sapiens intelligeret, erraret rudis.

Majus: „Hoc esse, inquit, epimythium desideratae fabulae, nemo non putabit. Quod si Perottus, ut nonnulli rentur, has fabulas Marte proprio componebat, cur hanc lacunam fecisset? Videtur igitur ex antiquo codice ita ut res erat descripsisse. Ego tamen dicerem hoc esse epimythium fabulae IV., nisi in Codice Perottino alia carmina complura fuissent interposita." Bothius vero: „Apparet, hunc esse finem fabulae praegressae, qui finis cum forte seorsim positus fuisset, lemma librarii addiderunt." 23) *vitio*] Em. Both. — *vitia* N. V.

Fab. V. *Sensum aestimandum esse, non verba* N. et V. post indicem. 1) *qui versari* N. 6) *esse*, quod om. N. et V., addidit Zell. 9) *nihil* V. 10) *scelestas* N. V. Em. Zell. et Mai. 14) *Tristis* V. N. Em. Jan. — *pene* N. 15) *Quo quisque* N. V. Em. Jan.

VI. AUCTOR.

Utilius nobis quid sit dic, Phoebe, obsecro,
Qui Delphos et formosum Parnasum incolis.
Quid o! sacratae vatis horrescunt comae,
Tripodes moventur, mugit adytis religio,
Tremuntque lauri et ipse pallescit dies?
Voces resolvit icta Pythia numine:
Audite gentes Delii monitus dei:
Pietatem colite; vota superis reddite;
Patriam, parentes, natos, castas conjuges
Defendite armis, hostem ferro pellite;
Amicos sublevate; miseris parcite;
Bonis favete, subdolis ite obviam;
Delicta vindicate; cohibete impios;
Punite turpi thalamos qui violant stupro;
Malos cavete; nulli nimium credite.
Haec elocuta concidit virgo furens:
Furens profecto, nam quae dixit perdidit.

VII. AESOPUS ET SCRIPTOR.

Aesopo quidam scripta recitarat mala,
In quis inepte multum se jactaverat.
Scire ergo cupiens quidnam sentiret senex,
Numquid tibi, inquit, sum visus superbior?
Haud vana nobis ingenii fiducia est.
Confectus ille pessimo volumine,
Ego, inquit, quod te laudas vehementer probo,
Namque hoc ab alio nunquam continget tibi.

Fab. VI. *De oraculo Apollinis* N. V. post indicem. 3) *o!* deest in N. — *Quando* conj. Jan. 6) *Phyton* N. V. Emend. Jan. 10) *ferroque* N. V. Em. Jan. 13) *castigate impios* N. V. Em. Cass.

Fab. VII. *De malo scriptore se laudante* N. V. post indicem. 4) *N., inquit, sum tibi* N. V. Em. Cass.

VIII. POMPEJUS MAGNUS ET EJUS MILES.

Magni Pompeji miles vasti corporis,
Fracte loquendo et ambulando molliter
Famam cinaedi traxerat certissimam.
Hic insidiatus nocte jumentis ducis,
Cum veste et auro et magno argenti pondere
Avertit mulos. Factum rumor dissipat;
Arguitur miles, rapitur in praetorium.
Tum Magnus: Quid? ait, tune me, commilito,
Spoliare es ausus? Ille continuo exscreat
Sibi in sinistram et sputum digitis dissipat.
Sic, imperator, oculi exstillescant mei,
Si vidi aut tetigi. Tum vir animi simplicis
Id dedecus castrorum propelli jubet,
Nec cadere in illum credit tantam audaciam.
Breve tempus intercessit, et fidens manu
Unum e Romanis provocabat barbarus;
Sibi quisque metuit; primi mussitant duces.
Tandem cinaedus habitu, sed Mars viribus,
Adit sedentem pro tribunali ducem,
Et voce molli: Licet? Enimvero ejici
Virum ut in re atroci Magnus stomachans imperat.
Tum quidam senior ex amicis principis:
Hunc ego committi satius Fortunae arbitror,
In quo jactura levis est, quam fortem virum,
Qui casu victus temeritatis te arguat.
Assensit Magnus et permisit militi
Prodire contra; qui mirante exercitu,

Fab. VIII. *Quam difficile sit hominem nosse* N. V. post indicem, unde epimythium restitui. 8) *Quid ais? tune* N. V. Em. Both. 15) *manu fidens* N. V. Em. Jan. 16) *Unum de Romanis* V. Em. Orell. 17) *primi mussant* N. V. Em. Orell. *mussitant primi* Dorvill. *et pr. mussant* conj. Jan. 21) *Virum,* quod in codd. perperam cum v. 20.

Dicto celerius hostis abscidit caput
Victorque rediit. His tunc Pompejus super:
Corona, miles, equidem te dono libens,
Quod vindicasti laudem Romani imperi:
Sed exstillescant oculi sic, inquit, mei,
Turpe illud imitans jus jurandum militis,
Nisi tu abstulisti sarcinas nuper meas.
Difficile quam sit hominem nosse hic discimus.

IX. JUNO, VENUS ET GALLINA.

Quum castitatem Juno laudaret suam
Jucunditatis causa, hanc reppulit Venus,
Nullamque ut affirmaret esse illi parem,
Interrogasse sic gallinam dicitur:
Dic sodes, quanto possis satiari cibo.
Respondit illa: Quicquid dederis satis erit;
Sic, ut concedas pedibus aliquid scalpere.
Ne scalpas, inquit, satis est modius tritici?
Plane, immo nimium est, sed permitte scalpere.
Ex toto, ne quid scalpas, quid desideras?

---

conjungitur, ad v. 21. promovit Zell. 28) *hosti* N. V. Em. Jan. 29) *redit* N. V. Em. Jan. — *tum* N. 30) *Corona militis* N. V. Em. Jan. 31) *Quod*] Neap. — *Quia* V. — *imperii* N. V. Scripsit Jan. *imperi*.

Fab. IX. *De mulierum libidine* N. V. post indicem. 2) *hanc reppulit*] Sic scribendum. — *non repellit* N. V. — *non repulit* conj. Dorv. et Jan. — *Jocum agitandi causam non repulit Venus* Orell. conj. Vitium, quo hic locus laborat, in partiula negativa latet. De joco vero, cujus agendi causam non repulerit Venus, minime cogitandum est. Quum enim Juno castitatem suam propter majorem veneris rarae jucunditatem, id est, dulcedinem laudaret, Venus, quae se carpi intelligeret, Junonem ita refutavit, ut voluptatem mulierum non morum, sed naturae, cujus nec illa esset expers, malum esse diceret. 3) *illi parem*] N. V. — *sibi imparem* Orellii susp. 5) *possis*] N. — *posses* V. 13) *jocos* N. V. Em. Jan. 14) *denotarat* conj. Burm.

Tum denique illa fassa est naturae malum:
Licet horreum mihi pateat, ego scalpam tamen.
Risisse Juno dicitur Veneris joco,
Quia per gallinam denotavit feminas.

X. PATERFAMILIAS ET AESOPUS.

Paterfamilias saevum habebat filium.
Hic e conspectu quum patris recesserat,
Verberibus servos afficiebat plurimis
Et exercebat fervidam adolescentiam.
Aesopus ergo narrat hoc breviter seni:
Quidam juvenco vetulum adjungebat bovem.
Is quum refugiens impari collo jugum,
Aetatis excusaret vires languidas:
Non est quod timeas, inquit illi rusticus;
Non ut labores facio, sed ut istum domes,
Qui calce et cornu multos reddit debiles.
Et tu nisi istum tecum assidue retines,
Feroxque ingenium comprimis clementiâ,
Vide, ne querela major accrescat domus.
Atrocitati mansuetudo est remedium.

XI. AESOPUS RT VICTOR GYMNICUS.

Victorem forte gymnici certaminis
Jactantiorem quum esse vidisset sophus,
Interrogavit, an plus adversarius

FAB. X. *Quomodo domanda sit ferox juventus* N. V. post indicem. 13) *Feroxque ingenium*] V. Idem sagaciter ad cod. N. conjecerat Orell. — *comprimis*] V. — *comprimes* N.

FAB. XI. *Quomodo comprimatur aliquando jactantia* N.V. post indicem. 1) *Forte victorem* N.V., transposuit Jan. 2) *quum vidisset Aesopus* N.V. Emend. Cass. — Jannell. in Ed. II. scripsit: *quum vidisset philosophus*. 3) *an plus*]

Valuisset ejus? Ille: Ne istud dixeris;
Multo fuere vires majores meae.
Quod, inquit, ergo, stulte, meruisti decus,
Minus valentem si vicisti fortior?
Ferendus esses, forte si te diceres
Superasse talem, melior qui esset viribus.
Sic comprimenda est aliquando jactantia.

XII. ASINUS AD LYRAM.

Asinus jacentem vidit in prato lyram.
Accessit et tentavit chordas ungula;
Sonuere tactae. Bella res mehercules
Male cessit, inquit, artis quia sum nescius:
Si repperisset aliquis hanc prudentior,
Divinis aures oblectasset cantibus.
Sic saepe ingenia calamitate intercidunt.

XIII. MULIER VIDUA ET MILES.

Mulierum magna saepe est inconstantia.
Per aliquot annos quaedam dilectum virum
Amisit et sarcophago corpus condidit;

Em. Jan. — *ampliusne* N. V. 4) *Valuisset suus* N. V. Emend. Orell. — *suus valuisset* conj. Jan. 9) *Superasse talem*] Sic emendavi. *Superasse, qui* N. V. — *Astu sup.* conj. Jan. — *Eum sup.* Bothe. 10) Epim. revocavi.

Fab. XII. *Quomodo ingenia saepe calamitate intercidant* N. V. post indicem. Epimythium tamen, unde haec attulit, delere oblitus est Perottus. 2) *et,* quod om. N. et V. addidit Jan. 4) *inquit*] Sic scripsi. — *ait* N. V. ἀμέτρως. — *Male c. mihi, ait* conj. Both.

Fab. XIII. 1) Ita scripsi proxime verba Perotti interpolata: *Quanta sit inconstantia mulierum* V. *Q. s. in. et*

A quo revelli nullo quum posset modo,
Et in sepulchro vitam lugens degeret,
Claram assequuta est famam castae virginis.
Interea fanum qui compilarant Jovis,
Cruci suffixi luerunt poenas numini.
Horum reliquias ne quis posset tollere,
Custodes dantur milites cadaverum
Monumentum juxta, mulier quo se incluserat.
Aliquando sitiens unus de custodibus,
Aquam rogavit media nocte ancillulam,
Quae forte dominae tunc adsistebat suae
Dormitum eunti; namque lucubraverat
Et usque in serum vigilias perduxerat.
Paulum reclusis foribus miles prospicit
Videtque aegram, sed facie pulchra feminam.
Corruptus animus illico succenditur
Et uritur sensim impudentis cupiditas.
Sollers acumen mile causas invenit,
Per quas videre posset viduam saepius.
Quotidiana capta consuetudine,
Paulatim facta est advenae summissior;
Mox artiore vinxit animum copula.
Hîc dum consumit noctes custos diligens,
Desideratum est corpus ex una cruce.
Turbatus miles factum exponit mulieri.
At sancta mulier: Non est quod timeas, ait,
Virique corpus tradit figendum cruci,
Ne subeat ille poenas negligentiae.
Sic turpitudo laudis obsedit locum.

---

libido m. N. 5) *vitam lugens*] V. — *lugens v.* N. 16) *produxerat* conj. Both. 18) *et facie* N. V. Em. Jan. 20) *Uriturque* N. V. Em. Jan. 22) *possit* conj. Both. — *viduam*] Sic. scripsi. — *viam* V. — *illam* Jan. — *eam* Mai. metro invito. 26) *custos*] V. — *miles* N.

XIV. DUO JUVENES SPONSI DIVES ET PAUPER.

Fortuna interdum praeter spem favet homini.
Unam expetebant virginem juvenes duo:
Vicit locuples genus et formam pauperis.
Ut nuptiarum dictus advenit dies,
Amans dolorem quia non poterat perpeti,
Maerens propinquos contulit se in hortulos,
Quos ultra paulo villa splendida divitis
Erat acceptura virginem e matris sinu,
Parum ampla in urbe visa quod fuerat domus.
Pompa explicatur, turba concurrit frequens,
Et conjugalem praebet hymenaeus facem.
Asellus autem, qui solebat pauperi
Quaestum deferre, stabat portae in limine.
Illum puellae casu conducunt suae,
Viae labores teneros ne laedant pedes.
Repente caelum, Veneris misericordia,
Ventis movetur, intonat mundi fragor
Noctemque densis horridam nimbis parat:
Lux rapitur oculis et simul vis grandinis
Effusa trepidos passim comites dissipat,
Sibi quemque cogens petere praesidium fuga.
Asellus notum proximum tectum subit
Et voce magna sese venisse indicat.
Procurrunt pueri, pulchram aspiciunt virginem
Et admirantur: deinde domino nuntiant.
Inter sodales ille paucos accubans,
Amorem crebris avocabat poculis.
Ubi nuntiatum est, recreatus gaudiis

F a b. XIV. 1) Hoc promythium repperi in verbis a Perotto interpolatis: *Fortunam interdum praeter spem atque exspectationem hominibus favere* N. V. 7) *splendidi* N. V. Em. Jan. 13) *deferre*] Cass. em. — *ferre* N. V.

Hortante Baccho et Venere, dulces perficit
Aequalitatis inter plausus nuptias.
Quaerunt parentes per praeconem filiam;
Novus maritus conjuge amissa dolet.
Quid esset actum postquam populo innotuit,
Omnes favorem comprobarunt caelitum.

XV. AESOPUS ET DOMINA.

Aesopus turpi quum serviret feminae,
Quae se expingendo totum intricaret diem,
Vestem, uniones, aurum, argentum sumeret,
Nec inveniret digito qui se tangeret:
Licetne paucis, inquit? Dicas. Censeo,
Quidvis efficies, cultum si deposueris.
Adeone per me videor tibi meliuscula?
Immo, nisi dederis, sponda cessabit tua.
At non cessabunt latera, respondit, tua;
Et objurgari jussit servum garrulum.
Post paullo armillam tollit fur argenteam.
Eam non apparere ut dictum est mulieri,
Furore plena vocat omnes et verbera
Proponit gravia, verum si non dixerint.
Aliis minare, inquit, me non falles, hera:

FAB. XV. *Quam noceat saepe verum dicere* N. V. post indicem. Ex his restitutum epimythium 2) Pro *intricabat*, quod est in N. et V., suadente Orellio propter modum verbi sequentem scripsi *intricaret*. 3) *Vestem*] Sic correctum in Burm. exemplo. — *vestes* N. V. 8) *cessavit* N. V. Em. Burm. 11) Sic de Orell. V. C. conjectura. — *Paullo post armillam tollit argenteam* N. V. — *Armillam is tollit paullo p. arg.* conj. Both. 12) *Eam*] Em. Jan. — *Quam* N. V. 13) *omnes ad verbera; Proponit* N., ut videtur. — *omnis ad verbera; Praeponit* V. Emend. Cass. 15) *falles, hera*] Ex Orellii emend. — *fallis certe* N. — *falles certe* V. — *fallis quidem* conj. Jan.

Flagris sum caesus, verum quia dixi modo.
Hac demonstrare voluit auctor fabula,
Quam noceat saepe nobis verum dicere.

XVI. GALLUS LECTICA A FELIBUS VECTUS.

Feles habebat gallus lecticarios.
Hunc gloriose vulpes ut vidit vehi,
Sic est locuta: Moneo praecaveas dolum:
Istorum vultus namque si consideras,
Praedam portare judices, non sarcinam.
Postquam esurire coepit societas fera,
Discerpsit dominum et fecit partes facinoris.
Nimia in periclum ducit nos securitas.

XVII. SCROFA PARTURIENS ET LUPUS.

Hominis periclum faciendum tibi prius
Quam te committas fidei, fabella admonet.
Premente partu scrofa quum gemeret jacens,
Accurrit lupus et obstetricis partibus
Se posse fungi dixit, promittens opem.
Quae vero nosset pectoris fraudem improbi,
Suspectum officium repudiavit malefici;
Et: Satis est, inquit, si recedes longius.
Quod si perfidiae se commisisset lupi,
Pari dolore fata deflesset sua.

Fab. XVI. *Nimiam securitatem saepe in periculum homines ducere* N. V. post indicem, unde restitui epimythium. 1) *lecticarius* N. V. Em. Burm. 2) *gloriosa* N. V. Em. Burm. 5) *fera societas* N. V. Transposuit Jan. 7) *facinore* conj. Both.

Fab. XVII. *Faciendum prius de homine periculum, quam ejus te committas fidei.* N. V. post indicem; inde refinximus promythium. 3) *Tremente* N. V. Emendavit Cass. e Romulo. 6) *pectoris*] Emend. Orell. — *pecoris* N. V. 8) *recedes*] V. — *recedas* N. 10) *Parens dolori* conj. Both.

XVIII. AESOPUS ET SERVUS PROFUGUS.

Malo, quod fugias, non est addendum malum.
Servus profugiens dominum naturae asperae,
Aesopo occurrit notus e vicinia.
Quid tu confusus? Dicam tibi clare, pater,
Hoc namque es dignus appellari nomine,
Tuto querela quia apud te deponitur.
Plagae supersunt, desunt mihi cibaria;
Subinde ad villam mittor sine viatico.
Domi si coenat, totis persto noctibus;
Sive est vocatus, jaceo ad lucem in semita.
Emerui libertatem, canus servio.
Ullius essem culpae mihi si conscius,
Aequo animo ferrem: nunquam sum factus satur
Et super infelix saevum patior dominium.
Has propter causas et quas longum est promere,
Abire destinavi, quo tulerint pedes.
Ergo, inquit, audi: quum mali nil feceris,
Haec experiris, ut refers, incommoda:
Quid si peccaris? quae te passurum putas?
Tali consilio est a fuga deterritus.

XIX. EQUUS QUADRIGALIS IN PISTRINUM VENUMDATUS.

Equum e quadriga multis palmis nobilem
Abegit quidam et in pistrinum vendidit.

Fab. XVIII. *Non esse malo addendum malum* N. V. post indicem, unde promythium reposui. 6) *quia apud te querela* N. V. Transposuit Jan. 10) *Sive aestu v.* N. V. Em. Jan. 14) *dominium*] Em. Orell. *dominum* N. V. 15) *promere*] „Hoc voc. deest in Cod. Vat., obscurum est in Neap.“ Mai. 17) *nihil* N. V. Em. Jan.

Fab. XIX. *Ferendum esse aequo animo quidquid acciderit* N. V. post indicem; ex his verbis epimythium composui. 1) *e quadriga*] Em. Burm. et Cass. — *et quadrigam* N. V. 8) *abstraxit* conj. Both.

Productus ad bibendum quum foret a molis,
In circum aequales ire conspexit suos,
Ut grata ludis redderent certamina.
Lacrimis obortis: Ite felices, ait,
Celebrate sine me cursu sollemnem diem:
Ego quo scelesta furis attraxit manus,
Ibi sorte tristi fata deflebo mea.
Aequo ferendum est animo quicquid accidit.

XX. URSUS ESURIENS.

Si quando in silvis urso desunt copiae,
Scopulosum ad littus currit et prendens petram
Pilosa crura sensim demittit vado;
Quorum inter villos simul haeserunt canceres,
In terram arripiens excutit praedam maris
Escaque fruitur passim collecta vafer.
Ergo etiam stultis acuit ingenium fames.

XXI. VIATOR ET CORVUS.

Quidam per agros devium carpens iter
Ave exaudivit et moratus paullulum,
Adesse ut vidit neminem, cepit gradum.
Iterum salutat idem ex occulto sonus.
Voce hospitali confirmatus restitit,
Ut, quisquis esset, par officium reciperet.

Fab. XX. *Famem acuere animantibus ingenium* N. V. post indicem. Epimythium hic quoque a Perotto interpolatum esse, cum poëtae verba servaverit, nemo non videt. 3) *demittit*] V. — *dimittit* N. 4) *cancri* N. V. Em. Cass. 7) *stulto* N. V. Em. Jan.

Fab. XXI. E verbis interpolatis: *Verbis saepenumero homines decipi solere*, quae in N. et V. post fabulae indicem leguntur scripta, epimythium restitui. 4) *sonus*] V. — *sonat* N. 11) *tibi male* N. V. Transp. Jan.

Quum circumspectans errore haesisset diu,
Et perdidisset tempus aliquot milium,
Ostendit sese corvus et supervolans
Ave usque ingessit. Tum se lusum intelligens:
At male tibi sit, inquit, ales pessime,
Qui festinantis male detinuisti pedes,
Sic saepe verbis homines decipi solent.

XXII. PASTOR ET CAPELLA.

Nil est occultum quod non manifestabitur.
Pastor capellae cornu baculo fregerat:
Rogare coepit, ne se domino proderet.
Quamvis indigne laesa, reticebo tamen;
Sed res clamabit ipsa, quid deliqueris.

XXIII. SERPENS ET LACERTA.

Pellem indue vulpis, ubi leonis deficit.
Serpens lacertam forte adversam prenderat;
Quam devorare patula quum vellet gula,
Arripuit illa prope jacentem surculum
Et pertinaci morsu transversum tenens,
Avidum sollerti rictum frenavit mora.
Praedam dimisit ore serpens irritam.

XXIV. CORNIX ET OVIS.

Odiosa cornix super ovem consederat;
Quam dorso quum tulisset invita et diu:
Hoc, inquit, si dentato fecisses cani,

Fab. XXII. *Nil occultum esse quod non reveletur* N. V. post indicem; inde restitui promythium.

Fab. XXIII. N. et V. post indicem habent: *Ubi leonis pellis deficit, vulpinam induendam esse; hoc est, ubi deficiunt vires, astu utendum*, unde promythium refinxi.

Fab. XXIV. *Multos lacessere debiles et cedere fortibus* N. V. post indicem. Haec verba manifesto e vers. 5.

Poenas dedisses. Illa contra pessima:
Despicio inermes, eadem cedo fortibus;
Scio quem lacessam, cui dolosa blandiar;
Ideo senectam mille in annos prorogo.
His qui lacessunt innocentes infimi,
Vexare fortes metuunt, scripta est fabula.

XXV. SERVUS ET DOMINUS.

Quum servus nequam Socrati malediceret,
Uxorem domini qui corrupisset sui;
Idque ille sciret notum circumstantibus:
Places tibi, inquit, quia cui non debes places;
Sed non impune, quia cui debes non places.
Maledictum nullum est gravius conscientia.

XXVI. LEPUS ET BUBULCUS.

Qui verbis blandus pectore infidelis est,
Hoc argumento se describi intelligat.
Quum venatorem celeri pede fugeret lupus
Et a bubulco visus veprem irreperet:
Per superos oro perque spes omnes tuas,
Ne me indices, bubulce; nihil unquam mali

---

interpolata sunt. Epimythium in Perotti codice videtur defuisse. Itaque illud, quod ex Anonymi Nilantii verbis refinxit Burmannus, addendum censui.

FAB. XXV. *Nullum maledictum esse gravius conscientia* N. V. post indicem. Inde Cassitus promythium fecit: *N. m. est gr. c.*, Bothius: *N. est m. gr. c.*, ego epimythium. 2) *corripuisset* N. V. Em. Jan. et Mai.

FAB. XXVI. *Multos verbis blandos esse et pectore infideles* N. V. post indicem; inde restitutus est vers. I., alterum servavit Rom. 3) Hic et versu 9. pro *lepus*, quod est in N. et V., *lupus* scripsi. Hoc enim non solum in indice sed etiam est apud Romulum IV. 3. et Anonymum Nil. 50. — *celeripes fugeret lepus* conj. Beth. 5) *oro*, quod om. N. et

Huic agro feci. Et rusticus: Ne timueris;
Late securus. Jamque venator sequens:
Quaeso, bubulce, numquid huc venit lupus?
Venit, sed abiit hac ad laevam; et dexteram
Demonstrat nutu partem. Venator citus
Non intellexit seque e conspectu abstulit.
Tunc sic bubulcus: Ecquid est gratum tibi,
Quod te celavi? Linguae prorsus non nego
Habere atque agere maximas me gratias;
Verum oculis ut priveris opto perfidis.

XXVII. MERETRIX ET JUVENIS.

Jucunda multa saepe sunt incommoda.
Quum blandiretur juveni meretrix perfida,
Et ille laesus multis saepe injuriis
Tamen praeberet sese facilem mulieri,
Sic insidiatrix: Omnes muneribus licet
Contendant, ego te plurimi facio tamen.
Juvenis recordans quotiens deceptus foret:
Lubenter, inquit, mea lux, hanc vocem audio,
Non quod fidelis, sed quod jucunda est mihi.

XXVIII. FIBER.

Canes effugere quum jam non possit fiber,
(Graeci loquaces quem dixerunt castorem
Et indiderunt bestiae nomen dei,
Illi, qui jactant se verborum copia:)

V., addidit Cass. 7) *timueris*] Em. Jan. — *timeret* N. V. — *ne timeas, ait* conj. Burm. ἀμέτρως. 15) *me maximas* N. V. Transp. Cass.

Fab. XXVII. *Multa esse jucunda, quae tamen sunt incommoda* N. V. post indicem. Ex iis refictus est vers. I.

Fab. XXIII. *Multi viverent, si salutis gratia parvi facerent fortunas* N. V. post indicem; verba ex epimythio

Abripere morsu fertur testiculos sibi,
Quia propter illos sentiat sese peti.
Divina quod ratione fieri non negem:
Venator namque simul invenit remedium,
Omittit ipsum persequi et vocat canes.
Hoc si praestare possent homines, ut suo
Vellent carere, tuti posthac viverent;
Haud quisquam insidias nudo faceret corpori.

XXIX. PAPILIO ET VESPA.

Non praeteritam sed praesentem sortem adspice.
Papilio vespam praetervolitans viderat;
O sortem iniquam! dum vivebant corpora,
Quorum ex reliquiis animam nos accepimus,
Ego eloquens in pace, fortis proeliis,
Arte omni princeps inter aequales fui.
En cuncta levitas putris et volito cinis!
Tu qui fuisti mulus clitellarius,
Quemcunque visum est laedis infixo aculeo.
Et vespa dignam moribus vocem edidit:
Non qui fuerimus, sed qui nunc simus, vide.

XXX. TERRANEOLA ET VULPES.

Avis, quam dicunt terraneolam rustici,
In terra nidum quia componit scilicet,

---

interpolata. 4) *jactant se*] V. — *se jactant* N. 6) *se* N. V. Em. Jan. 10) *suo*] N. — *sui* V. 11) *careret uti* N. — *carere uti* V. Em. Jan.

Fab. XXIX. *Non praeteritam, sed praesentem adspiciendam esse fortunam* N. V. post indicem. Refeci ex iis promythium. 2) *praetervolantem* V. Em. Orell. 4) *accepimus*] Em. Jan. — *accipimus* V. (?) 5) *loquens* N. V. Em. Jan.

Fab. XXX. In indice et vers. I. *TERRANEOLA . . . terraneolam*] N. — *TERANTULA . . . terantulam* V. Post

Forte occucurrit improbae vulpeculae;
Qua visa, pennis altius se sustulit.
Salve, inquit illa, cur me fugisti, obsecro?
Quasi non abunde sit mihi in prato cibus,
Grilli, scarabaei, locustarum copia:
Nihil est, quod metuas, ego te multum diligo
Propter quietos mores et vitam probam.
Respondit contra: Tu quidem bene praedicas;
In campo non sum par tibi, sed sum sub dio:
Quin sequere; tibi salutem committo meam.
Habenda pravis nunquam est hominibus fides.

XXXI. EPILOGUS.

Hoc qualecunque est Musa quod ludit mea,
Nequitia pariter laudat et frugalitas,
Sed haec simpliciter; illa tacite irascitur.

---

indicem in N. et V. haec sunt scripta: *Pravis non esse fidem adhibendam;* inde epimythium refeci. 3) *occurrit* N.V. Em. Burm. 8) *metuas, rogo; te* N.V. Em. Both. 11) *Non sum in campo* N. V. Metri causa transposui. 12) *salutem tibi* N. V.

Fab. XXXI. *De iis, qui legunt libellum* N. V. Apud Cassittum hi tres versiculi sunt Fab. II., Bothius in libelli fronte collocavit, Lünemannus addidit nomen Prologi.

LIBER SEPTIMUS.

APPENDIX VETUS.

I. MILUUS AEGROTANS.

Multos quum menses aegrotasset miluus
Nec jam videret esse vitae spem suae,
Matrem rogabat, sancta circuiret loca
Et pro salute vota faceret maxima.
Faciam, inquit, fili; sed opem ne non impetrem,
Vehementer vereor; nam qui delubra omnia
Vastasti et cuncta polluisti altaria
Sacrificiis nullis parcens, nunc quid vis, rogem?
Rebus secundis qui quemvis offenderit,
Amicum adversis neminem inveniet sibi.

II. LEPORES VITAE PERTAESI.

Qui sustinere non suum potest malum,
Inspiciat alios atque cedat tempori.
In silvis magno territi strepitu arborum
Lepores consilium ceperunt, ut in lacum
Se praecipitarent propter assiduos metus.
Venere ad ripam fluminis celeri pede,

Fab. I. 6) *nam*] Rom. Ulm. — *sed* Gud. conj. — *quando omnia delubra* Rom. Div. 7) *vastasti et*] Sic Rom. — *vastando* Gud. conj. 9 et 10) Epimythium servavit Rom. Ulm.

Fab. II. 2) *atque cedat tempori*] Sic e Rom. — *et discat tolerantiam* Gud. e conj. 3) *Cum strepitus magnus subito veniret ex arborum concussione* Rom. Ulm. 5) Sic Rom. 6) *Venerunt ad oram fluminis* Rom. Div. — *fugientes ad ripam cujusdam fluminis pervenerunt* Rom. Nilantii. Gud. a versu 2. omnia ita mutavit, ut Romuli verba vixdum

Ubi ranae multae. At agmen illae ubi leporum
Viderunt veniens, expaventes validius
In fluvium sese jactaverunt protinus.
Lepus tunc unus: Sunt et alii qui timent;
Sequamur vitam, ut ceteri, quam sors dedit.

III. LEO ET MUS.

Ne quis minores laedat, fabula haec monet.
Leone in silva dormiente rustici
Luxuriabantur mures. Unus e grege
Super cubantem casu quodam transiit,
Expergefactus quem leo celeri impetu
Arripuit. Veniam sibi dari rogat miser,
Crimen fatetur peccatum imprudentiae.
Hoc rex ulcisci gloriosum non putans
Ignovit et dimisit. Post paucos dies
Leo, dum vagatur noctu, in foveam decidit.
Captum ut se agnovit laqueis, voce maxima
Rugire coepit; cujus ad immanem sonum
Mus subito accurrens: Non est, quod timeas, ait;
Beneficio magno gratiam reddam parem.
Simul omnes artus lustravit. Retis loca
Postquam cognovit rodenda, oris protinus
Laborem sumens nervos coepit dentibus

---

agnoscas. 7—9) *U. r. m. erant. At i. ubi agmen leporum viderunt veniens, expaverunt valde et in fluvium se j.* Rom. 9) *Virides in algas misere fugientes ruunt* Gud. verba, non Phaedri.

Fab. III. 3) *Luxuriantes mures, unus ex iis* Gud. ex Rom. ἀμέτρως. Praetera vocem *iis* neque Terentius, neque Horatius, neque P. Syrus, neque Phaedrus ipse, neque Seneca in jamborum exitu usquam posuerunt. 15) *Simul omnes illius artis* (*artuum* Div.) *ligaturas lustrare coepit* Rom. ex interp. — *artis* om. *A.* 16) *cognovit loca rodenda* Rom. 17) *sumpsit laborem oris sui et dentibus nervos*

Secare et artus laxare ingenio suo.
Sic captum mus leonem silvis reddidit.

IV. MUS ET RANA.

Mus, quo transire posset flumen facilius,
Auxilium ranae petiit. Haec muris pedem
Lino priorem crus ad posterius sibi
Ligavit. Ambo sic natare coeperunt.
In medio vero rana deorsum flumine
Se mersit, muri ut vitam eriperet perfide.
Qui quum, ne mergeretur, valide tenderet,
Praedam conspexit miluus propter volans
Muremque fluctuantem rapuit unguibus
Simulque ranam colligatam sustulit.
Sic saepe intereunt aliis meditantes necem.

V. GALLI DUO ET ACCIPITER.

Gallus quum gallo saepe pugnam intenderet,
Victus requirit accipitrem sibi vindicem.
At hic sperabat, ut, si venissent simul,

Rom. 18) *coepit secare et laxare artis illius ingenia* Rom. A. Totus hic locus, quem corruptum retulerunt An. et Rom., a Gudio magis etiam depravatus est, qui voc. *artus* nodos et juncturas significari opinatus scripsit: *Mox omnes artus, artuum et ligamina Lustrare coepit, cognitosque dentibus Nervos rodendo laxat ingenia artuum.* Nec meliora sunt quae proposuit Burm. Non enim de laqueorum, sed leonis artubus cogitandum est. Vocabulum *artis* autem utroque loco e v. *artus* ortum.

Fab. IV. 4 et 5) Sic Rom. Anon. verba hic sine dubio interpolata secutus est Burm. 7) *Ille valides dum teneret vires* Rom. Div. (*validus* R. Ul.) — *mure miserrimo, ne m., validius renitente* Rom. Nil.

Fab. V. 1) *intenderet*] A. — *conserens* Burm. conj. 2) *Acc. vict. judicem litis petit* Burm. conj. Ego A. verba servavi. 3) *sperabat ut* A. — *mente concipit spem devo-*

Hunc devoraret, qui exhiberet se prius.
Mox quum venissent, ut causas exponerent,
Accipiter ipsum comprehendit, qui forum
Primo petierat. Gallus clamat improbus:
Ne plectar ego, sed ille, qui fugam petit.
Cui ales: Hodie ne credas ex unguibus
Te liberari posse meis; quos alteri
Dolos tendebas, aequum est nunc te ipsum pati.
Qui saepe tractat aliorum secum necem,
Ignorat, triste quid sibi fatum paret.

VI. COCHLEA ET SIMIUS.

Speculo reperto delectata cochlea
Fulgentem ascendens orbem coepit lingere.
Nil vero visa est contulisse laminae,
Nisi ut splendorem sic pollueret sordibus.
Id inquinatum postquam invenit simius:
Qui se calcari talibus permiserit,
Meretur, inquit, tale dedecus pati.
Haec illis est fabella scripta feminis,
Ineptis quae se jungunt et stultis viris.

VII. MUS URBANUS ET RUSTICUS.

Hospitio quondam mus urbanus rustici
Exceptus viles coenat glandes in cavo.

---

randi Burm., qui pro: *causam exponerent* et *qui forum primo petierat*, quae leguntur apud A., scripsit: *causam ut orarent suam* et *qui primus forum Deduxit ad suum litem* (vers. 5. 6 et 7) — 10) *liberari*] A. — *eripi* Burm. conj.

Fab. VI. 2) *ascendens*] A. — *scandens* Burm. conj. 3 et 4) Sic A. nisi quod omisit *laminae*. Ex A. verbis non satis intellectis Burmannus composuit haec: *Nil illi melius contulisse se putans, Quam si splendorem commacularet sordibus*, intellectu difficiliora. 5) *invenit*] A. — *vidit* Burm. conj.

Perduxit precibus post, ut urbem rusticus
Cellamque intraret omnibus plenam bonis.
In qua dum variis perfruuntur reliquiis,
Venit repulsis ostiis cellarius.
Quo mures strepitu diffugiunt perterriti
Et notis facile urbanus se condit cavis;
At miser ignota trepidans rusticus domo
Mortemque metuens per parietes cursitat.
Ut, quae volebat, sustulit cellarius
Clausitque limen, iterum urbanus rusticum
Hortatur. Ille perturbatis sensibus:
Vix, inquit, possum capere prae metu cibum.
Putasne veniet ille? Quid tantum times?
Urbanus inquit; age fruamur ferculis,
Quae frustra rure quaeras. Contra rusticus:
Tu, qui timere nescis, fruere his omnibus;
At me securum pascat glans et liberum.
In paupertate tutum praestat vivere,
Quam divitiarum carpi sollicitudine.

VIII. ASINUS DOMINO BLANDIENS.

Blandiri domino asellus ut vidit suo
Canem et de mensa saturari quotidie,
Et frusta largiter jactari a familia;
Sic est locutus: Si canem immundissimum
Dominus et tota sic familia diligunt,
Quanto magis me diliget, si fecero

FAB. VII. 3) *Perduxit*] A. — *Induxit* Burm. conj. 4) *omnibus plenam bonis*] Rom. — *plurimo refertam cibo* A. — *plenam rebus optimis* Burm. conj. 6) *ostiis repulsis* A. — *Impulso-ostio* Burm. e conj. Rom. secutus. 10) *Mortemque metuens*] A. — *Timensque mortem* Burm. conj.

FAB. VIII. 5) *tota*] Rom. Ulm. — *sic*] A. Rom. Div. — *tantum* Rom. Ulm. — *in tantum* Burm. conj. 6) *Quanto*

Par officium, qui multo sum melior cane
Rebusque pluribus utilis et laudabilis,
Aquae qui fontibus insuper sanctis alor
Cibusque semper cui mundus solet dari?
Sum sane catulo dignior vita frui
Beatiore honorem et summum consequi.
Asellus haec dum secum, stabulum conspicit
Intrare dominum. Quare occurrens ocius
Rudensque prosilit et humeris ambos pedes
Imponit osque lingua coepit lambere,
Vestemque foedis scindens ungulis gravi
Herum fatigat, stulte blandus, pondere.
Clamore domini concitatur familia,
Fustesque et lapides passim arripiens obvios
Rudentem mulcat, et confractis debilem
Membris costisque dejicit ad praesepia.
Fabella, ineptus ne se invitis ingerat,
Melioris aut affectet officium, docet.

IX. GRUS, CORNIX ET DOMINUS.

Foedus juratae grus et cornix junxerant,
Cornicem grus ab avibus ut defenderet,
Cornix futura, ut grus caveret, diceret.
Quae quum frequenter ad cujusdam rustici
Agrum volarent atque evellerent sata
Radicitus: agri dominus vidit, et dolens:

---

magis me] Rom. Div. — *Quid me futurum* Burm. conj. 9) *aquae sanctis fontibus* A. Eadem fere Rom. — *sanctae fontibus puris aquae* Burm. conj. — Vers. 9. a me, 10. a Burmanno propius ad Rom. verba sic restitutus est. 20) *lapides*] A. Rom. — *saxa* Burm. conj. 22) *costis,* quod rectius *membris* opponitur, quam voc. *coxis*, ut cetera vers. 21. et 22., ex A. Rom. et Vincent. reposui.

Fab. IX. 4) *Quae*] A. — *Hinc* Burm. conj. 10) *commonuit gruem*] A. — *commonet* Burm. 16) *percussit*] A. —

Puer, saxum da, clamat, quo feriam gruem.
Cornix ut audit, illico gruem monet,
Sibi quae cavit. Alia dein die audiens
Cornix petentem saxum, commonuit gruem
Iterum, ut vitaret sedulo periculum.
Avem divinam suspicatus rusticus
Audire jussa puero: Si, inquit, dixero,
Offam da, lapidem tu mihi clam porrige.
Grus venit; ille puerum offam jussit dare.
At hic lapidem, quo percussit gruem, dedit,
Et crura fregit. Vulnerata grus ait:
Divina cornix, ubi nunc auspicia tua?
Cur non monere sociam, quod juraveras,
Properasti, tale ne mihi veniret malum?
Respondit illa: Non meretur ars mea
Culpari; sed dolosa sunt bilingium
Consilia, qui aliud dicunt atque aliud agunt.
Promissis ducunt qui imperitos subdolis,
Mox fictis causis haud desistunt ludere.

X. AVES ET HIRUNDO.

Consilium qui non audit invenit malum.
Aves in unum quum devenissent locum,
Viderunt hominem seminantem linum agro.
Quod ut pro nihilo habere hirundo intellegit,
Sic convocatas allocuta traditur:
Hinc nobis instat omnibus periculum,
Si semen ad maturitatem venerit.

---

ferit Burm. conj. 19) *socium ut juraveras* Burm. ἀμέτρως. Vocabulum *gruis*, quod feminino genere posuit Phaedrus lib. I. 8., Burmannus hac fabula duplici scripsit, feminino vers. 9. (*quae cavit*), masculino cum A. vers. 17. (*vulneratus grus*) Haec generis varietas tollenda fuit.

FAB. X. 1) Promythium a Rom. servatum. 8) *Deinde, ut fruticavit*] A. Rom. — *germinavit ut vero* Burm. conj.

Aves risere. Deinde, ut fruticavit seges,
Hirundo rursus: Instat pernicies, ait;
Adeste, germen eruamus noxium,
Ne, si mox crescat, inde fiant retia
Et nos possimus artibus humanis capi.
Ridere pergunt verba aves hirundinis
Consilium et spernunt stulte prudentissimum.
At illa cauta ad homines se mox contulit,
Sub eorum tectis tuta posthac ut foret.
Sed, quae salubre monitum respuerant aves,
De lino factis captae pereunt retibus.

XI. PERDIX ET VULPES.

Resedit alta quondam perdix arbore;
Advenit vulpes; deinde sic coepit loqui:
O quanta vultus species est, perdix, tui!
Coralla rostrum, crura vincunt purpurae
Fulgorem. At si dormires, quanto pulchrior
Esses! Ut stulta clausit oculos, illico
Rapit credentem vulpes. Illa fletibus
Haec mixta gravibus verba supplex edidit:
Tuarum, vulpes, per virtutes artium,
Ut ante, quaeso, nomen proferas meum;
Sic devorabis. Vulpes, ubi voluit loqui,
Aperuit os; at perdix evasit necem.
Decepta vulpes: Quid opus erat loqui mihi?

---

16) Sic fere A. et Rom. Quae Burmannus scripsit, Virgilii (conf. Geor. IV. 307.), non Phaedri sunt, nec satis accurate: *ut tuta tignis nidum suspendat* pro *suspenderet* hic posuit. — *ut secura posset et inter homines versari et nidum, ubi vellet, in tignis construere* Rom. Nil. ex interpol.
17) *respuerant*] A. Rom. — *despexerant* Burm. conj.

Fab. XI. 9) *Per artium tuarum virtutes te quaeso* A. — *Per o tuarum, vulpis, artium decus* Burm., *decus* e conj. non necessaria.

Respondit perdix: Et dormire quid mihi
Erat necesse, somnus cui non venerat?
Hoc illis, qui loquuntur, ubi nil est opus,
Et qui, vigilare quum necesse, dormiunt.

XII. ASELLUS, BOS ET VOLUCRES.

Asellus et bos uno sociati jugo
Plaustrum trahebant. Bos, dum tendit validius,
Confregit cornu. Asellus nil levaminis
Sentire jurat se a consorte debili.
Laborem intendens, cornu frangit alterum
Terraeque tandem bos procumbit mortuus.
Asinum bubulcus carne mox onerat bovis,
Qui multas inter plagas ruptus concidit
Et exspiravit nimio lapsus pondere.
Ad praedam volucres ita dicentes convolant:
Si te precanti mitem exhibuisses bovi,
Non immaturo nos interitu pasceres.

XIII. LEO ET PASTOR.

Debent potentes miseris reddere gratiam.
Errans in silva spinam calcavit leo
Et claudicare sanie collecta incipit.
Pastori occurrit forte. Suspenso pede
Ad hunc accedit atque cauda blandiens:
Ne perturberis; imploro auxilium tuum,
Non praedam quaero. Ponit sublatum pedem

Fab. XII. 7) Sic Burm. — *carne bovis exaggerat* A. 8) *multas*] A. — *mille* Burm. conj. 9) Sic scribendum censui ex A. verbis: *Et exspiravit medio pondere collapsus.* — *Et exsp. media collapsus via* Burm. ταὐτολογικῶς. 10) Sic A. — *Ad. p. v. convolantes inquiunt* Burm. conj. 12) *nos interitu pasceres*] A. — *pasceres nos funere* Burm. conj.

Fab. XIII. Vers. 1, 3, 4, 10, 12, 14, 17, 18, 19 et 20. R. servavit. 6) *imploro auxilium*] A. — *imploro supplex*

Hominis in gremio, qui eximens spinam gravi
Levat dolore. Redit hinc in silvas leo.
Post tempus capitur. Falso pastor crimine
Oppressus ludis proximis ad bestias
Datur. In arenam dimissus ruit leo;
At hunc agnoscens qui medicinam fecerat,
Oculos cum ingenti rugitu ad populum levat
Et mox sublatum rursus in gremio pedem
Pastori ponit, intellexit qui simul
Illum esse, cui jam notus in silva fuit.
Populus ut vidit haec, e bestiario
Miratus causam quaesivit, qua reddita
Magno illis indulgentiam suffragio
Petiit. Rex ut cognovit, jussit illico
Leoni parci et pastorem reddi suis.

XIV. CULEX ET TAURUS.

Culex quum taurum provocasset viribus,
Cuncti venerunt populi, ut pugnam cernerent.
Culex tum: Satis est, quod venisti cominus;
Parvus tibi sum fortis judicio tuo.
Hîc se per auras penna sustulit levi
Lusitque turbam et tauri destituit minas.

---

opem Burm. conj. 8) *Hominis*] A. — *Homo* Burm. conj., sed contra v. 15, ubi leo narratur rursus pastori in gremio pedem posuisse. 12) Anonymus, qui admodum mutilatam hanc retulit fabulam, plures simul bestias emissas discurrere (*discursitare* scripsit Burm. verbo novo et ficto) facit, sine dubio ut miraculum augeret, sed quid ceteras bestias coërcuerit, non commemoravit. Utrumque conflavit Rom. Nil., sed addidit *leonem cauda sua circulum circa eum fecisse, ut ne aliqua bestia propius ad pastorem accedere auderet.* 21 et 22) *Hoc rex ut cognovit, leoni jussit parci* A.

Fab. XIV. 4) Sic A., nisi quod voc. *fortis* in *factus* habet mutatum. 5) *Hîc*] A. — *Hinc* Burm. conj.

Quod si fuisset validae cervicis memor,
Et taurus hostem contemsisset sordidum,
Fuisset vana inertis gloriatio.
Amittit famam, qui se indignis comparat.

XV. EQUUS ET ASINUS.

Asello sonipes phaleris occurrit tumens,
Et, tardius quod multo lassus pondere
Viam dedisset transeunti: Vix, ait,
Me teneo, quin te saevis rumpam calcibus.
Tacuit Asellus gemitu testatus deos.
Equus currendo ruptus parvo in tempore
Ad villam mittitur. Hunc onustum stercore
Ut vidit asinus, tali derisit joco:
Quo, gloriose, phaleras has quondam tibi,
Modo ad contemtam qui redisti miseriam.
Felix ne spernat dubiae sortis immemor
Humilem, quum quid futurus ipse, nesciat.

XVI. VOLUCRES, QUADRUPEDES ET VESPERTILIO.

Bellum gerebant volucres cum quadrupedibus
Et vincebantur versa victores vice.
At vespertilio, dubios eventus timens,
Illam ad partem quam superiorem viderat
Se conferebat. In pacem quum pristinam

Fab. XV. 4) *rumpam*] A. Rom. Burm. e libr. I. 23. huc transtulit *exteram*, quod verbum ibi non Phaedro sed Pithoei conjecturae acceptum refertur. 9) Sic ingeniose Burm. ex A. verbis: *Quid tibi gloriose quondam phaleris?* — *Quid tibi profuerunt illa ornamenta?* Rom. ex interpol. 10) *contemtam*] A. — *despectam* Burm. conj.

Fab. XVI. 4) *superiorem*] A. Rom. — *Ad illos semper quos superasse viderat* Burm. 10) *venditarit*] Hoc sup-

Redissent, fraus utrique generi apparuit.
Damnatus ergo tam pudendo crimine,
Lucem refugiens, atris posthac condidit
Se tenebris, solus noctibus semper volans.
Qui se duabus venditarit partibus,
Utrisque ingratus vitam deget turpiter.

XVII. LUSCINIA, ACCIPITER ET AUCEPS.

Accipiter ad lusciniae nidum dum sedet
Auritum speculans, illic pullos invenit.
Mater, periclo mota prolis, advolat
Supplexque, pullis ut parcat suis, rogat.
Accipiter: Quod vis, inquit, faciam, si bona
Cantaris voce carmen modulatum mihi.
At illa, quamvis excideret animus, tamen
Metu coacta est et cantavit denique
Dolore plena. Praedam qui captaverat
Accipiter illi: Non tu cantasti bene,
Et unum e pullis apprehendit unguibus
Coepitque devorare. Ex diverso venit
Auceps et calamo clam levato perfidum
Visco contingit atque in terram dejicit.
Quicunque fraudes alii tendit subdolas,
Timere debet, ne ipse capiatur dolo.

---

peditat Anonymi verb. *vendicari*. — *commiserit* Rom. — *venditabit* Burm.

FAB. XVII. 1) *ad l. nidum*] Sic scribendum pro *in nidum*, quod est apud A.; accipiter enim, quomodo *in nido*, quod est apud Rom. Nilantii, sedere possit, non intelligo. 2) *Auritum speculans*] Sic ex A. et Rom. verbis. — *Aurito insidians* Burm. conj. 6) *Cantaris*] A. Rom. — *Cantabis* Burm. conj. 9) *Dolore plena*] A. Rom. 13) *levato*] A. Rom. 14) *dejicit*] Ex A. et R. restitui.

XVIII. LUPUS, VULPES ET PASTOR.

Lupus per tempus maximam congesserat
Praedam in cubile, haberet ut cibaria,
Quîs plures posset menses otio frui.
Vulpes ut novit, ad cubile adiit lupi,
Et voce tremula: An recte, frater, omnia?
Quod te non vidi silvis venantem tuis,
Tristem per omnes hos egi vitam dies.
Lupus, livorem postquam agnovit aemulae:
De me sollicita non huc venisti, improba,
Sed partem ut captes; fraude quid petas, scio.
Irata ad ovium pastorem vulpes adit:
Agesne, pastor, inquit, gratias mihi,
Inimicum si trădidero hodie gregis tui,
Ut jam non sis sollicitus? Pastor: Serviam
Tibi, ait, et tribuam, quidquid volueris, lubens.
Cubile monstrat illa pastori lupi,
Qui clausum protinus peremit lancea
Et gaudens de alieno saturavit aemulam.
At ipsa deinde ut in venantes incidit,
Comprensa a canibus et laniata sic ait:
Dedi vix alteri malum, et jam punior.
Timere debet, quisquis alii sustinet
Nocere, pejus ipsi ne eveniat malum.

XIX. OVES ET LUPI.

Oves lupique quum certassent proelio,
Illae vicerunt tutae praesidio canum.
Lupi legatos miserunt pacem sibi

FAB. XVIII. 9) *Non de me sollicita venisti* A. Rom. 14) *jam non*] A. Rom., id est: ut inde ab hodierno die nihil metuas. — *nunquam* Burm. conj. 20) *Comprehensa a canibus* A. Rom.

FAB. XIX. 3 et 4) *Tunc lupi legatos mittunt pacem petentes* Rom. Div. 6) *aeternum foedus* A. — *aeternam*

Lege hac petentes, ut oves dederent canes,
Et obsides luporum catulos reciperent.
Oves aeterna sic sperantes foedera
Sese juncturas, fecerunt, quod petierant.
Post paulo quum coepissent ululare catuli,
Lupi, vexari caussantes natos suos
Pacemque ruptam ab ovibus, undique impetu
Invadunt facto nudas defensoribus,
Fidem quae stultae quod habuerant hostibus,
Consilium sera damnant poenitentia.
Praesidium, quo quis olim tutus vixerat,
Si tradat aliis, frustra post desiderat.

XX. HOMINES DUO, FALLAX ET VERAX, ET SIMII.

Agentes mendax et simul verax iter,
In simiorum forte terram venerant.
E turba ut vidit unus, qui se fecerat
Regem, teneri jussit eos, ut disceret,
De se quid homines dicerent. Omnes simul
Adstare voluit simios longo ordine
Dextra laevaque, sed sibi poni thronum,
Ut hominum reges quondam facere viderat.
Mox homines jussos in medium adduci rogat:
Qualisnam vobis esse videor, hospites?
Respondit mendax: Rex videris maximus.
Et qui sunt isti, quos stare ante me vides?
Hi comites, hi legati et militum duces.

---

gratiam Burm. conj. 7) *fecerunt*] Rom. — *dederunt* A. — *quod petierant*] A. 9) *vexari*] Rom. Div. et Ulm. — *necari* Burm. ex Rom. Nil.

Fab. XX. 12) Sic A. et Rom. — *Quid hi, quos apparere nunc vides mihi* Burm. conj. 16) *Si iste mendax sic accepit* A. — *Si iste, qui mendax est, sic est acceptus*

Mendacio laudatus cum turba sua
Adulatori munus imperat dari.
Hîc secum verax dixit: si mendacium
Sic est acceptum, quanto non ego munere
Donabor, verum si pro more dixero.
Deliberanti haec simius: Et qualis tibi
Videor et illi, quos hic ante me vides?
Respondit ille: Verus es tu simius
Et simii omnes illi, qui similes tui.
Iratus illum dentibus rex imperat
Lacerari et unguibus, quod vera dixerat.
  Blandum laudatur a malis mendacium;
Bonis honesta fert exitium veritas.

XXI. HOMO ET LEO.

  Homo certabat cum leone, fortior
Quis esset, atque litis testimonium
Hujus dum quaerunt, ad sepulcrum venerunt,
In quo leonem pictum elisis ab homine
Faucibus ostendit, argumentum virium.
Leo respondit: Humana hoc pictum est manu;
Videres hominem dejectum, si pingere
Leones scirent. Sed ego testimonium
Dabo virtutis certius. Ad spectaculum
Deduxit hominem, monstrans ubi bona fide
Enectos a leonibus homines, ait:
Non est colorum testimoniis opus;

Rom. 19) *Dum haec secum deliberat, ait simius* Rom. — *Hinc ad veracem simius* Burm. conj. 20) *quos ante me vides* A. Rom. Burm. e vers. 12. huc transtulit *stare* scripsitque: *quos stare a. m. v.*

Fab. XXI. 10) *Deduxit*] Rom. Div. — *Induxit leo hominem in amphitheatrum* A.

Hic exhibetur vera virtus actibus.
Colore frustra mendaces uti docet
Fabella, certa quum datur probatio.

XXII. CICONIA, ANSER ET ACCIPITER.

Quum notum ad stagnum venisset ciconia,
Mergentem invenit se frequenter anserem
Sub undis. Quaerit, cur hoc faceret. Ille ait:
Haec consuetudo nobis est et in luto
Reperimus escam, et accipitris simul impetum
Venientis ad nos tuti sic evadimus.
Sum multo accipitre fortior, ciconia
Ait; amicitiam si vis mecum jungere,
Illi insultare victor poteris. Credulus
Et protinus auxilium petens anser simul
In agrum prodit. Illico supervenit
Accipiter et comprensum saevis unguibus
Fugiente devorat anserem ciconia.
Cui anser: Qui patrono se tam debili
Credit, pejore finiri debet nece.

XXIII. FORMICA ET CICADA.

Formica grana tempore hiemis e cavo
Trahens siccabat, quae prudens collegerat
Aestate. Esuriens hanc cicada, aliquid daret
Sibi, rogabat. Cui formica: Aestate quid
Agebas? inquit. Illa: Non erat otium,
Ut de futuro cogitarem tempore;
Errabam cantans per sepes et pascua.

Fab. XXII. 4) *Haec nobis consuetudo est et in luto* Burm. Voces hiulcas disjunxi.

Fab. XXIII. 3) *hanc, ut aliquid sibi daret* Burm. metro claudicante. 5) *Agebas* A. — *Faciebas* Rom.

Ridens formica et grana referens sic ait:
Aestate quae cantasti, age, salta frigore.
Piger laboret certo semper tempore,
Ne, quum nil habeat, poscens accipiat nihil.

XXIV. EQUUS ET ASINUS.

Equum rogabat asinus paullulum hordei.
Libenter, ait, et, si superesset, largiter
Pro dignitate nostra tribuerem tibi.
Sed quum venerimus ad praesepia vespere,
Statim folliculum plenum farre tibi dabo.
Asellus dixit: Qui rem tam parvam negas,
Quid in majori te facturum existimem?
Qui, quum promittunt magna, parva denegant,
In dando se tenaciores indicant.

XXV. LEO ET VULPES.

Defectus annis languorem finxit leo.
Aegrotum ad regem visitandum bestiae
Plures venerunt, quas occidit protinus.
Sed cauta vulpes ante speluncam stetit
Salutans regem. Quum rogasset hanc leo,
Cur non intraret: Video quod vestigia
Intrantium, inquit, non vero exeuntium.
Cautis prodesse pericula aliorum solent.

Fab. XXIV. 4) Sic A. — *Simul sed nostra vespere ad praesepia Venero* Burm. conj. 5) *folliculum*] A. — *sacculum* Burm. conj. 6) *Asellus inquit* Burm. — *qui rem tam parvam negas* A. — *nunc qui rem parvam negas* Burm. conj.

Fab. XXV. 3) *occidebat* Rom. — *edebat* A. — *devorat quas protinus* Burm. conj. 4) *ante speluncam stetit*] A. Rom. — *ante speluncam procul Stabat* Burm. conj. 7) *Intrantium multa* Burm., sed *multa* neque A. neque Rom.

XXVI. PULEX ET CAMELUS.

Pulex cameli dorso forte considens
Gravatus multis qui incedebat sarcinis
Sibi placebat, longe visus altior.
Iter quum longum fecissent, ad vesperam
Simul venerunt in stabulum. Pulex statim
Ad terram saliens: Ecce, dixit, ocius
Descendo, attritum ne gravem diutius.
At ille: Gratum est, sed nec te imposito fui
Gravatus, nec te deposito nunc allevor.
Qui se sublimi, nullo quum sit ordine,
Jactat, notatus in despectum devenit.

XXVII. HOEDUS ET LUPUS.

Fetum capella, quum pastum exiret, suum
Pericli ignarum monuit, ne cui ostium
Aperiret, multas quod sciret pecorum feras
Circuire stabula. Ut abiit, advenit lupus,
Assimulans vocem matris et jussit fores
Sibi reserari. Ut hoedus audivit, lupo
Per rimam spectans: Audio sonum quidem
Matris, sed fallax atque inimicus es mihi;
Sub matris voce nostrum quaeris sanguinem
Potare et nostra carne satiari. Vale.
Laus magna natis obsequi parentibus.

FAB. XXVI. 4) *ad vesperum* Rom. — vesperâ Burm. 8 et 9) *nec te imposito gravatus, nec te nunc deposito sum allevatus* Rom. — Burmannus secutus est A., qui haec habet: *nec imposito te sentire pondus potui, nec deposito habere levamen.*

FAB. XXVII. 1 et 2) Sic emendavi. *Capella quum esset feta et ad pastum vellet ire, ignarum hoedum monuit, ne aperiret ostium* Rom. Eadem An. sed corruptius *feta et partum vellet custodire,* quae Burm. recepit. 9) Sic A.

XXVIII. PAUPER ET SERPENS.

Serpens cujusdam pauperis in parva domo
Venire semper ad mensam consueverat,
Et inde micis pascebatur largiter.
Dives post paullo factus irasci incipit
Serpenti et vulnerat securе. Tempore
Ille interposito ad pristinam egestatem redit.
Ut intellexit se fortuna divitem
Serpentis ante factum quam laceraverat,
Ad illum venit et blande precatus est,
Ignosceret peccanti. Cui serpens ait:
Te poenitebit sceleris, usque dum mea
Cicatrix clausa fuerit; at tamen integra
Fide me posthac noli amicum credere.
Redire hac lege in gratiam tecum volo,
Securis nunquam perfidae si meminerim.
Suspectus esse debet, qui laesit semel,
Et caute semper integranda gratia.

XXIX. AQUILA ET MILUUS.

Aquila quum tristis assideret miluo
In arbore: Vultu quid te tam moesto, hic ait,

FAB. XXVIII. 1) *In domo cujusdam pauperis* A. Rom. — *in aedibus* Burm. conj. 7 et 8) Sic ad A. et Rom. verba vers. refeci; quibus repudiatis Burm. longe alia haec attulit: *Pro sorte varia serpentis postquam videt Fortunam mutari suam, blande petit.* 10) *Ignosceret peccanti*] A. Rom. — *ignoscat ut peccanti* Burm. conj. 12) *integra*] Rom. — *optima* Burm. conj. 14) *tecum*] A. R. Burmannus omisit et addidit *tamen* (*Redire tamen*), quae vox verborum sententiam impedit. Poterat cum A. et Rom. adjicere *nam*, sed quum ejusmodi vocabula adjungere soleant, qui aliorum scripta retractant, non injuria praetermisit.

FAB. XXIX. 1) *Aquila quum tristis*] A. 2) *In arbore*] Sic scripsi — *in arborem* A. — *in ramo* Burm. conj.

Conspicio? Quaero, dixit illa, conjugem
Parem, nec invenire possum. Me accipe,
Te multo qui sum fortior. Quid? an potes
Ex rapto victum quaerere? Unguibus meis
Struthiocamelum rapui prensum saepius.
Inducta verbis aquila conjugem capit.
Transacto tempore, nuptiis quod statuerant,
Aquila: Abi, praedam promissam mihi rape.
Volans in altum soricem immundissimum
Situque longo miluus affert putridum.
Haecne est, aquila inquit, polliciti fides tui?
Cui miluus: Ego, ut pervenirem nuptias
Ad regias, nihil non posse me fidem
Dedissem, quamvis me nequire noverim.
Qui se majores cupidi quaerunt conjuges,
Dolent decepti se post junctos vilibus.

---

9) *Transacto tempore quod nuptiis fuerat dedicatum* A. — *Parvo post nuptias transacto tempore* Burm.

LIBER OCTAVUS.

APPENDIX NOVA.

PHAEDRUS AD RUFUM.

Libellum, Rufe, tradens hunc tibi meum,
Suscipias, quaeso, donum ut pretiosum labrum.
Juveniles spectat annos, maturos item,
Et disciplinam famulis ingeret tuis.
Ne quis putet me lapsum in imprudentiam,
Inventum olim servavi narrandi modum.
Malis apposui vera, composui integra
Bonis. Malorum monstrans firmavi vias
Proborum; jam sequatur quisque quod libet.

I. CALVUS ET HORTULANUS.

Ab hortulano calvus ut peponem sibi
Donaret, petiit. Ille deridens ait:
Apage te, calve; nil dabo tibi, rustice.
Hieme et aestate calva habeat malum tua,
Muscae et tabani frontem compungant tibi,
Et de ipso capite nudo sanguinem bibant,
Et postea foedent! Calvus ira percitus
Gladium evaginat atque interficit improbum.
Haec scripta est illis fabula, qui petentibus
Nec tribuunt quicquam nec respondent leniter.

Prol. 2) *pretiosum labium* Rom. e vocabulo non intellecto, quod reposui.

Fab. I. 1) *peponem*] Hanc vocem reposui. Inepte ab Anonymo cum vocabulo *melonis* commutata est. Illa enim, quum ut a Graecis ita etiam a Romanis per convicium usurparetur, ab hortulano in contumeliam accipi potuit. Alterum vero vocabulum totam fabulam conturbat, ut nemo, quae causa fuerit irarum, intelligere possit. Ceterum nonnulla in hac fabella valde interpolata recidenda fuerunt.

II. CATULUS, CATUS ET MUS.

Catum rogavit catulus ut conscendere
Liceret tergum et praedam secum quaereret.
Venari quamvis animus non esset, tamen
Catus concessit. Proximam ad muris domum
Pullum portavit. Quo quum venissent, sibi
Amica voce ut provocaret musculum,
Petivit catulus. Vocem ut audit, ad ostium
Statim venit mus atque: Quid, ait, quaeritis?
Huic illi: Volumus, inquiunt, tecum loqui.
Mus, qui cognovit consilium coqui malum:
Pereas et ipse et ille super te qui sedet;
Male huc veneritis et male sit redeuntibus!
Catus reverti qui voluerat illico
Conviciis offensus muris restitit
Et, quum securus prodisset, leto dedit.
Bene qui non possunt hostibus loqui suis,
Inimicitias imponunt graviores sibi.

III. LEO ET EQUUS.

Equum pascentem in prato ut falleret leo,
Medicum se dicens accessit subtiliter.
Dolum praesensit sonipes, officium tamen
Non repudiavit. Ingenium invenit cito.

Fab. II. 1) *catulus*] Non minus inepte, quam in fabula praecedenti, Anonymus *catulum*, quem a nomine gallico *chaton* vocarunt *catonnum*, convertit in *cavannum* vocabulum effictum e gallico *chat-huant*, id est, ulula. De cato et catulo autem fabulam narrari, e verbis, quae muris precibus diris: *Maledictus tu sis, cate, et ipse qui super te sedet*, de suo addidit Anonymus, apparet his: *et domus vestrae et filii et filiae et omnis parentela vestra sit maledicta.* 12) Hunc versiculum integrum servavit A.

Fab. III. 1) *falleret*] Rom. Div. — *frangeret* Rom. Ulm. 3) *persensit* Rom. Ulm. 5) *stipem* Rom. Div. 9) *turbulentos calces* Rom. 15) *mentiri noli* Rom.

Se stirpem habere finxit calcatam pede
Et hoc levato: Frater, inquit, gratulor
Huc te venisse; stirpe oro ut me liberes.
Quasi extracturus illam ut accessit leo,
Truculentos calces dedit equus velociter.
Jacuit ille amens in terra diutius;
Sui qui compos factus ubi nusquam videt
Equum, capite et toto se laesum corpore
Intellegens: Sum digne passus haec, ait;
Inimicus, ut consueram, accedere debui.
Esto, quod es re vera, et mentiri cave.

IV. MEMBRA ET VENTER.

Ventri indignatae quondam cum pedibus manus,
Quod otiosus sine labore quotidie
Cibo impleretur, servitium negaverant.
Clamabat venter esuriens; at invidae
Alimenta non dederunt per aliquot dies.
Labarunt membra jejuno ventre omnia;
Qui, post quum vellent denuo cibum dare,
Recusavit, quod clausae erant stomachi viae.
Decipiunt stulte se, qui deserunt suos.

V. VERVECES ET LANIUS.

Verveces quondam, quum in consepto essent simul
Cum arietibus et viderent intrare lanium,

Fab. IV. 5) *aliquot*] Rom. Ulm. — *paucos* Rom. Div. 6) *Labarunt*] Hoc latere putavi in voc. corrupt. *lassaverunt* Rom. — *laccessere* (lassescere) *coeperunt* Rom. Nilantii.

Fab. V. 1) *consepto*] Sic emendavi. — *collectu* Rom. Div. — *collecto* Rom. Ulm. 12) *capitum impulsibus*] Rom. Nil. — *capitinis impulsibus* Rom. Div.

Hunc se videre dissimulaverunt. Manu
Lanii deinde mortifera quum cernerent
Unum teneri, trahi et interfici statim,
Nec sic timuerunt sibi, sed secum quilibet
Incaute: Me non tangit; permittam trahi.
Novissime unus restitit, qui similiter
Quum se trahi videret, lanio traditur
Dixisse: Ab uno digni laniari sumus,
In medio nostro qui te positum aspeximus,
Nec capitum impulsibus quassatum occidimus.
Pereunt propinqui, qui inter se dissentiunt.

VI. AUCEPS ET AVES.

Diversicolores quum exsultarent verno aves
Nidisque tectae fronde sederent, aucupem
Componere cannas viderunt lippum suas
Et visco inserere festucas. Sic simplices
Inter se dicere coeperunt: O, quam pium
Videmus hominem; lacrimae namque profluunt
Ex oculis illi nimia bonitate, quoties
Nos aspicit. Tunc reliquis una astutior,
Experta omnes quae fuerat aucupis dolos,
Dixisse fertur: Fugite, simplices aves,
Et hac a fraude vos eripite protinus.
Nam si cognoscere verum placet, intendite
Ad hominis opera, qui, quas fraude ceperit,
In funda mox reponet occisas sua.
Non negligendum consilium prudentis est.

Fab. VI. 11) A Romulo hic plura adduntur, quae licet facile duobus vers. includantur, tamen ut supervacanea removenda videntur esse. Sunt autem haec: *Pennis alarum impigris, moneo, ad aërem Volatum celeres extollatis liberum.* 14) *In funda*] Sic scripsi. — *in tumba* Rom. Ulm. — *in cumbam* Rom. Div.

VII. VULTUR ET ALIAE AVES.

Vultur, natalem simulans se celebrare, aves
Domum invitavit. Deinde ingressus ostium
Occlusit atque caedere coepit singulas.
Sic spem tribuentes saepe struunt contraria.

VIII. PUER ET SCORPIUS.

In silva factans puer aucupia scorpium
Sub lapide vidit. Hic conanti vertere:
Vide, inquit, ne me captans te perdas miser.
Nihil audendum, quod sit periculosius.

IX. ASELLUS AEGER ET LUPUS.

Asinum aegrum visit lupus et coepit tangere.
Interroganti, corporis quae maxime
Partes dolerent: Quas tu tangis, ille ait.
Sic se prodesse quum fingant, mali nocent.

X. DE HIRCO MAJORE ET TRIBUS MINORIBUS.

Tres hoeduli quum quondam vidissent caprum
Majorem quendam, qui leonem conspicans
Fugiebat timidus, deriserunt. Ille ait:
O si sciretis, hircum qualem ego fugerim
Non rideretis. Saepe sic majoribus
Ab inferiore stulte obtrectari solet.

Fab. VII. 2) *Domum invitavit*] Sic scripsi, ut metrum srevarem, quod turbant Anonymi verba: *ad coenam invitavit.* 4) *spem tribuentes* Rom. Div. convertit in *opem hilariter tribuentes*, Rom. Ulm. haec mutavit in: *ad opem hilarem proficiscentes.*

Fab. VIII. 1) *Puer in silva auguria captans* Rom. corrupte, ut multa alia, quae emendavi.

Fab. IX. 2) *corporis*] Rom. Ulm. — *membrorum* Rom. Div.

Fab. X. 1) *tres hirci minores* Rom. ex interp. 2) *leonem*] Rom. Div. Apud Nil. deest. 5) *non derideretis* Rom. Ulm.

XI. GLADIUS ET VIATOR.

Gladium viator quum invenisset in via
Jacentem, interrogavit: Quis te perdidit?
Cui telum: Me quidem unus, multos vero ego.
Homo malus multos perdit, at solus perit.

XII. ABIES ET ARUNDO.

Abietis arbor vento exorto noluit
Se flectere; juxta vero arundo quae stetit,
Quamcunque in partem flectebatur spiritu.
Huic abies: Quare non stas, ut ego, firmiter?
Respondit illa: Non tanta est virtus mea.
Post paullo in terram ventus validus arborem
Projecit, at dimissa arundo est. Sternitur
Sic saepe elatus, dum humilis erectus manet.

Fab. XI. 4) *et solus perit* Rom. Ulm. in promythio.

Fab. XII. 3) Sic ex Rom. Nil. — *flectebat se in quacunque parte ventus eam movebat* Rom. Ulm.

UGOBARDI SULMONENSIS

FABULAE PHAEDRIANAE

E CODICE HAENELIANO ET DUACENSI

ACCURATE EDITAE.

PRAEFATIO.

Fabulis Romuli pedestribus in Edit. Ulm. subjunctae sunt fabulae LX elegis scriptae. Quae quum eodem ordine, quo Romuli, sint connexae multisque nominibus cum illis conveniant, ex ejus verbis conformatas esse apparet. Nomen poëtae hucusque ignoratum est; quae enim Gyraldus, Morellus et alii, quorum placita retulit Schwabius *), de eo tradiderunt, ea omnia incerta sunt ac dubia. Veterem Anonymum aut Neveleti ab editore vulgo vocant. Ignorantiae nunc medetur codex Haenelianus. Is enim ad prologum in margine a librario sermone non nimis latino inter alia haec habet notata: *In principio hujus operis attenduntur quatuor: causa materialis, formalis, efficiens et finalis. Causa efficiens est duplex, sc. inveniens et compilans. Inveniens fuerunt Sulmonenses pingentes istas historias, causa compilans Ugobardus Sulmonensis qui* — inventis figuris depictis — *ipse compilavit* (composuit) *metra.* Ugobardum ergo Sulmonensem Romuli fabulas versibus polivisse seculo XIII, quo codex Haen. conscriptus est, communis hominum eruditorum fuit opinio; qua re fabularum hic liber Ugobardi nomine inscribendus erat. Diversissima sunt et de tempore, quo illae fabulae sint compositae et de poëtae elegantia hominum doctorum judicia, quae qui cognoscere voluerit, ad Schwabii Not. littera. de Phaedro et scriptores multos ibi laudatos, est relegandus.

*) In edit. Phaedr. vol. I. p. 172 seqq.

Excusae sunt hae fabulae Phaedrianae in edit. Ulmensi, in ed. Argentoratensi, quae prodiit an. 1479, in libello, cui inscribitur: *Esopus moralisatus cum commento optimo.* Daventr. 1490., et in Neveleti Mythol. Aesop. e codice Palatino membraneo. Neveletus etiam quinque fabulas contulit illas, quas e codice ms. bibliothecae Victorian. Paris. ediderat et notis in Phaedrum inseruerat Rigaltius. Pluries deinde editae sunt, bis etiam cum Phaedri fabulis a Bipontinis an. 1784 et 1810. Praeter duos, de quibus modo commemoravi, codices supersunt codex manusc., qui exstabat olim in Paulli Petavii bibliotheca, codex biblioth. regiae Paris. 893, qui inscribitur: *Liber Hisopi,* duo codices bibliothecae Guelferbytanae alter XII. alter XIV. seculi. Alter, cui inscriptum est: *Incipit liber Apologorum Esopi,* praeter LX Ugobardi fabulas duas continet ab alio quodam poëta adjectas, quas publicavit in Additam. ad Lessingii Anon. Nevel. Eschenburgius. Idem collatis ad eos codices duabus fabulis demonstravit, versus poëtae multis librariorum erroribus etiamnunc exsolvendos esse. Quod quum hac nova editione factum intellexeris, non meae qualicunque curae, sed *Gustavi Haenelii* et *A. Duthilloeuli,* virorum longe praestantissimorum humanitati attribuas. Eorum enim magna in me benignitate factum est, ut alii duo codices innotescant Haenelianus et Duacensis, de quibus, quum in fabulis reficiendis illum secutus sim, ad hunc saepe confugerim, nunc accuratius est dicendum.

Codex Haenelianus membraneus est et foliis forma quadruplicata constat XIII. Scriptus est aut seculo XIII. exeunte aut XIV. initio. Litterae fabularum initiales et indices colore rubro distinguuntur. In margine passim ferae, quae in fabulis inducuntur, appictae conspiciuntur. Folium II. excidit; a fabula XXVIII. librarius, ut membranae sufficerent, versus arctius junxit et litteras

satis nitide exaratas imminuit ita, ut in extremo folio seriem geminatam ponere potuerit. Neque id fabulam LVIII. continet integram, cujus pars reliqua an unquam cum ceteris fabellis in alio quodam conscripta exstiterit, dubium potest videri. Fabulis Phaedrianis praemittitur grammatica Magistri Alexandri Galli, vulgo de villa Dei, versibus conscripta. Codicem, qui Romae inter Pii VI. papae libros venditus fuerat, ex Italia attulit Haenelius.

Codex Duacensis idem membraneus. Folia quadruplicata formae minoris habet XX. Fabulas continet LXII, adjectis duabus, quas publicavit Eschenburgius, seculo XII. exeunte vel saltem XIII. ineunte litteris perspicuis scriptas. Cujusque fabulae titulus liquore rubro expressus est. Fabulas ab amico ad codicem summa diligentia collatas humanissime obtulit A. Dithilloeulus, bibliothecae, quae Duaci est, publicae praefectus longe celeberrimus. Quae in fabulis hujus cod. diversa reperiuntur a scriptura in editionibus recepta, ea plerumque cum cod. Haen. concinunt; passim etiam medicinam corruptis solus attulit Duacensis.

SCRIPTURAE COMPENDIA.

Du. = Codex Duacensis.

H. = Codex Haenelianus.

B. = Lectio vulgata editionis Bipontinae.

PROLOGUS.

Ut juvet, ut prosit, conatur pagina praesens:
 Dulcius arrident seria picta jocis.
Hortulus iste parit fructum cum flore, favorem
 Flos et fructus emunt; hic nitet, ille sapit.
Si fructus plus flore placet, fructum lege; si flos
 Plus fructu, florem; si duo, carpe duo.
Ne mihi torpentem sopiret inertia sensum,
 In quo pervigilet, mens mea movit opus.
Ut messis pretium de vili surgat agello,
 Verbula sicca, Deus, complue rore tuo.
Verborum levitas morum fert pondus honestum
 Et nucleum celat arida testa bonum.

I. FABULA DE GALLO ET JASPIDE.

Dum rigido fodit ore fimum, dum quaeritat escam
 Dum stupet inventa jaspide gallus, ait:
Res vili pretiosa loco nitidique decoris
 Hac in sorde manens nil mihi messis habes.
Si tibi nunc esset, qui debuit esse, repertor,
 Quem limus sepelit, viveret arte nitor.
Nec tibi convenio, nec tu mihi, nec tibi prosum,
 Nec mihi tu prodes, plus amo cara minus.
Tu gallo stolidum, tu jaspide pulcra sophiae
 Dona notes; stolido nil sapit ista seges.

PROLOGUS] Titulus hic in H. et Du. non reperitur. *PRAEFATIO.* B. 4) *hic sapit, ille nitet.* Du. B. 9) In codice H. ubivis scriptum est *precium, gracia* etc pro *pretium, gratia.* 10) pro *sicca* in H. ab initio fuit *ficta.* — *implue* Du. B. 11) *Verborum lenitas* B. ἀμέτρως.

Fab. I. Tit. *DE GALLO QUI INVENIT JASPIDEM.* Du. 3) *nitidique*] Du. — *natique* H. B. 4) *sorde jacens* Du. B. 9 et 10) *Jaspide dona sophiae Pulcra n.* Du. B. — *sapit iste cibus.* B.

II. FABULA DE LUPO ET AGNO.

Est lupus est agnus; sitit hic, sitit ille, fluentum
  Limite non uno quaerit uterque siti.
In summo bibit amne lupus, bibit agnus in imo;
  Hunc timor impugnat verba movente lupo:
Rupisti potumque mihi rivique decorem.
  Agnus utrumque negat se ratione tuens:
Nec tibi nec rivo nocui; nam prona supinum
  Nescit iter, nec adhuc unda nitore caret.
Sic iterum tonat ore lupus: Mihi damna minaris?
  Non minor, agnus ait. Cui lupus: Immo facis.
Fecit idem pater ante tuus sex mensibus actis.
  Quum bene patrisses, crimine patris obi.
Agnus ad haec: Tanto non vixi tempore. Praedo
  Sic tonat: An loqueris, furcifer? huncque vorat.
Sic nocet innocuo nocuus causamque nocendi
  Invenit. Hi regnant qualibet urbe lupi.

III. FABULA DE RANA ET MURE.

Muris iter rumpente lacu, venit obvia muri
  Rana loquax et opem pacta nocere cupit.
Omne genus pestis superat mens dissona verbis,
  Quum sentes animi florida lingua polit.
Rana sibi murem filo confoederat, audet
  Nectere fune pedem, rumpere fraude fidem.
Pes coit ergo pedi, sed mens a mente recedit.
  Ecce natant; trahitur ille, sed illa trahit.

FAB. II. *DE LUPO ET AGNO.* Du. 1) *fluenti* B. 2) *uterque viam* B. 4) *verba monente* B. 5) *rivoque* B. 11) *F. i. tuus ante pater* Du. B. — *sed mens. a.* B. 12) Codd. ubivis pro *Quum* exhibent *Cum*. 13 et 14) *praedo. Cui lupus: An* B. 16) *hu* (forsitan *heu*) *regnant* Du.

FAB. III. *DE RANA ET MURE.* Du. 3) *dissona linguae* B. 7) *set* sic ubique scriptum in cod. H. pro *sed*. 9) *demergat*] Du. *mergat* H. — *amicum* Du. e quo v. 10.

Mergitur, ut secum murem demergat; amico
  Naufragium faciens naufragat ipsa fides.
Rana studet mergi, sed mus emergit et obstat
  Naufragio; vires suggerit ipse timor.
Milvus adest miserumque truci rapit ungue duellum;
  Hic jacet, ambo jacent, viscera rupta fluunt.
Sic pereant, qui se prodesse fatentur et obsunt.
  Discit in auctorem poena redire suum.

IV. DE CANE ET OVE.

In causam canis urget ovem, sedet arbiter, audit.
  Reddat ovis panem, vult canis; illa negat.
Pro cane stat milvus, stat vultur, stat lupus: instant,
  Panem quem pepigit reddere, reddat ovis.
Reddere non debet, nec habet quod reddere possit,
  Et tamen ut reddat, arbiter instat ovi.
Ergo suum, licet obstet hiems, pervendit amictum,
  Et patitur Boream vellere nuda suo.
Saepe fidem falso mendicat inertia teste;
  Saepe dolet pietas criminis arte capi.

V. DE CANE QUI PORTABAT CARNES IN ORE.

Dum canis ore gerit carnem, caro porrigit umbram,
  Umbra cohaeret aquis: has canis urget aquas.
Spem carnis plus carne cupit, plus fenore signum
  Fenoris; os aperit: sic caro spesque cadit.
Non igitur debent pro vanis certa relinqui;
  Non sua si quis avét, mox caret ipse suis.

---

et 11. exciderunt. 10) *ipsa fidem* B. 11) Quae ab hoc versu usque ad fab. VIII. vers. 5. leguntur, e Du. addidi; cod. enim H. folium, cui inscripta fuerunt, excidit. 16) *Discit*] Sic scripsi pro *discat* Du. B. — *auctorem*] B. — *actorem* Du.

Fab. IV. 5) Sic B. — *R. n. d., nec reddere jure tenetur* Du. 7) *licet instet* B. 8) *Boream patitur* B.

Fab. V. 1) *Nat canis ore gerens* B. 4) *spesque perit* B. 6) *quis amat* B.

VI. DE LEONE, VACCA, CAPRA ET OVE.

Ut ratione pari fortunae munera sumant,
Sumunt foedus ovis, capra, juvenca, leo.
Cervus adest, cervum rapiunt. Leo sic ait: Heres
Primae partis ero; nam mihi primus honor.
Et mihi defendit partem vis magna secundam,
Et mihi dat major tertia jura labor.
Et pars quarta meum, nisi sit mea, rumpet amorem.
Publica solus habet fortior ima premens.
Ne fortem societ fragilis, vult pagina praesens:
Nam fragili fidus nesciet esse potens.

VII. DE FEMINA NUPTA FURI.

Femina dum nubit furi, vicinia gaudet;
Vir bonus et prudens talia verba movet:
Sol pepigit sponsam. Jovis aures terra querelis
Perculit et causam, cur foret aegra, dedit.
Sole necor solo; quid erit, si creverit alter?
Quid patiar? quid aget tanta caloris hiems?
Hic prohibet sermo, laetum praebere favorem
His, male qui faciunt vel mala facta parant.

VIII. DE LUPO ET GRUE.

Arta lupum cruciat via gutturis osse retento:
Mendicat medicam, multa daturus, opem.
Grus promissa petit de faucibus osse revulso:
Cui lupus: En vivis munere tuta meo.
Nonne tuum potui morsu praecidere collum?
Ergo tibi munus sit tua vita meum.

FAB. VI. 5) *vis magna*] Du. — *vis prima* B. 7) *quarta, nisi mea sit, rumpemus* B. 9) *societ fortem* B.

FAB. VII. 8) *His, m. q. faciunt*] B. — *qui male fecerunt* Du.

FAB. VIII. 4) *En*] B. — *An* Du. 5) *praescindere collum* B. 8) *Immemor* Du.

Nil prodest prodesse malis: mens prava malorum
Inmemor accepti non timet esse boni.

IX. DE CANE, QUAE SUSCEPIT ALIAM CANEM IN AEDE.

De partu querulam, verborum nectare plenam,
Pro cane mota canis suscipit aede canem.
Haec abit, illa manet; haec cursitat, illa quiescit.
Huic tamen a partu rumpitur illa quies.
Illa redit reddique sibi sua jura precatur;
Obserat haec aurem nec minus aure domum.
Plus prece posse minas putat, his plus bella duobus;
Haec scit posse minas plus prece, bella minis.
Quum dolor hanc armet, plus matrem filius armat;
Cedit sola gregi causaque justa perit.
Non satis est tutum mellitis credere verbis;
Ex hoc melle solet pestis amara sequi.

X. DE HOMINE ET COLUBRO.

Dum nive canet humus, glacies dum sopit aquarum
Cursus, in colubrum turbida saevit hiems.
Hunc videt, hunc reficit hominis clementia; ventum
Temperat huic tecto, temperat igne gelu.
(Ver redit, imber abit, aestas cum sole tepescit.
Sic importunus fit magis atque magis).
Ore serit virus coluber, sic toxicat aedem.
Hospes ait colubro: Non rediturus abi.

Fab. IX. *DE CANE VOLENTE PARIRE* (sic) *ET ALIA CANE.* Du. 4) *tandem a partu solvitur ipsa* B. 5) *jura* a sec. m. in margine cod. H. additum, in versu omissum erat. 7) *haec plus b.* Du. 8) *Noscit posse* B. — *bella minus* Du. B. 10) *justaque causa* Du. B.

Fab. X. *DE HOMINE QUI RECEPIT COLUBRUM IN DOMO.* Du. 1) *nive candet* B. 5 et 6) In cod. H. et Du. desunt hi versiculi haud dubie insitivi. 7) *serit*} Du. — *fundit* H. Hic versiculus a recentiore manu scriptus

Non exit coluber, nec vult exire, sed haeret.
    Implectensque virum sibila dira movet.
Reddere gaudet homo nequam pro melle venenum,
    Pro fructu poenam, pro pietate dolum.

XI. DE ASELLO ET APRO.

Audet asellus aprum risu tentare protervo,
    Audet iners forti dicere: Frater, ave.
Vibrat aper pro voce caput, nam verba superbit
    Reddere, sed dentem vix tenet ira trucem.
Sus tamen ista movet: Vilem dens nobilis escam
    Spernit; desidia tutus es ipse tua.
Non debet stolido laedi prudentia risu,
    Nec stolidus doctum debet adire jocis.

XII. DE MURE RUSTICO ET URBANO.

Rusticus urbanum mus murem suscipit, aedem
    Commodat et mentem; mensaque mente minor.
In tenui mensa satis est inmensa voluntas,
    Nobilitat vilem frons generosa dapem.
Facto fine cibis, urbanum rusticus audit:
    Urbani socius tendit in urbis opes.
Ecce penum subeunt; inservit amicus amico,
    Invigilat mensae; fercula mensa gerit.
Emendat conditque cibos clementia vultus,
    Convivam satiat plus dape frontis honor.
Ecce serae clavis immurmurat, ostia latrant.
    Ambo timent, fugiunt ambo, nec ambo latent.

---

est. 10) *Implectensque*] H. a prima m. *Amplectensque* H. a m. secunda. Du. 12) *pietate dolos* B.

Fab. XI. 6) *es tutus* Du.

Fab. XII. 1) *aedem*] Du. — *aede* H. 3) *In mensa tenui satur est immensa v.* B. H. *est* a sec. m. appositum exhibet. 4) viles — — dapes Du. B. 7) *penu* Du B. 8) *Invigilant* Du. B. 11) *Ecce sera cl. im. ost. laxat* B.

Hic latet, hic latebras cursu mendicat inepto,
Assuitur muro reptile muris onus.
Blanda penu clauso parcit fortuna timori,
Ille tamen febrit teste tremore fremens.
Exit qui latuit, timidum sic lenit amicum:
Gaude, carpe cibos, haec sapit esca favum.
Fatur qui timuit: Latet hoc in melle venenum.
Fellitumque metu non puto dulce bonum.
Quam timor obnubit, non est sincera voluptas;
Non est sollicito dulcis in ore favus.
Rodere malo fabam, quam cura perpete rodi;
Degenerare cibos cura diurna facit.
His opibus gaude, qui gaudes turbine mentis;
Pauperiem ditat pax opulenta mihi.
Haec bona solus habe, quae sunt tibi dulcia soli;
Dat pretium dapibus vita quieta meis.
Finit verba, redit; praeponit tuta timendis,
Et quia summa timet, tutius ima petit.
Pauperies si laeta venit, ditissima res est;
Tristior immensas pauperat usus opes.

XIII. DE VULPE ET AQUILA.

Dum vulpes aquilam pro rapta prole perungit
Melle precum, praedam reddere nescit avis.
Praeda gemit nidique timet cibus esse gulosi;
Sed redimit natos utilis arte parens.
Arboreum zonat stipulis et vimine truncum,
In stipulam docto dirigit ore facem.

---

13) *in apto* H. 15) *fortuna timenti* B. 16) *tremore timet* Du. B. 19) *Fat. q. latuit* B. 22) *ore cibus* B. 23) *perpete*] Du. — *perpeti* H. 26) *ditat*] H. — *ditet* Du. 28) *Dat*] B. — *Det* H. Du. 31) *tutissima res* Du. B.

Fab. XIII. 6) *porrigit ore* B. 7) *consurgit*] H. a sec. m. B. — *conjurat* H. a pr. m. Du. 8) *Hunc timet*] B. —

In pullos aquilae consurgit copia fumi.
Hunc timet et vulpem provida placat avis.
Non sit qui studeat, quia major, obesse minori,
Quum bene majori possit obesse minor.

XIV. DE AQUILA ET CORNICULA.

Pes aquilae, praedo testudinis, aëra findit.
Hanc sua concha tegit, cornua longa latent.
Hoc monitu cornix aquilam permunit: Ineptum
Fers onus, at fiet utile, crede mihi.
Quod geris in concha, cibus est; tibi surripit illum
Concha cibum. Concham frange, cibusque cadet.
Ut concham lanies, pro viribus utere sensu;
Hanc, si celsa cadat, saxea franget humus.
Decipientis homo subversus turbine linguae
Corruit et fortes ista procella rapit.

XV. DE CORVO PORTANTE CASEUM ET VULPE.

Vulpe gerente famem, corvum gerit arbor, et escam
Ore gerens corvus vulpe loquente silet:
Corve, decore decens, cygnum splendore peraequas;
Si cantu placeas, plus ave quaque places.
Credit avis pictaeque placent praeludia linguae;

Hunc tamen H. Du. 9) *quia* deest in Du. 10) *possit*] Du. — *posset* H.

Fab. XIV. *DE AQUILA ET TESTUDINE.* Du. 1) aëra scindit B. 3) *praemunit* Du. B. 4) *hoc fiet* B. 8) *cadet* Du. — *cadit* B. 9) *De se tutus homo, submersus t. l.* B. (*submersus* etiam Du.) Versui 10. H. a sec. m. in utroque margine adscriptos exhibet versiculos hos:

Ingenii vires superat prudentia summa; est,
Credite prudenti, lingua ministra necis.

Fab. XV. *DE VULPE ET CORVO.* Du. 2) *gerens*] H. a sec. m. *gerit* a pr. m. 3) *splendore*] Du. — *candore* H. B. — *peraequas*] Du. Haec vox in H. a pr. m. omissa est,

Dum canit, ut placeat, caseus ore cadit.
Hoc fruitur vulpes; insurgunt taedia corvo.
Asperat in medio damna dolore pudor.
Fellitum patitur risum, quem mellit inanis
Gloria; vera parit taedia falsus honor.

XVI. DE LEONE, APRO, ASELLO ET TAURO.

Irretit miserum gravitas annosa leonem,
Inglaciat corpus corque senile gelu.
Instat aper, pensat veteri pro vulnere vulnus.
Frontis eum telo taurus utroque fodit.
Saevit asellus iners, et frontem calce sigillat.
Haec gemitu solo vindicat acta leo:
Omnia qui vici, me vincunt omnia, dormit
Vis mea, dormit honor, dormit honoris opus.
Cui nocui, nocet ille mihi, multisque peperci,
Qui mihi non parcunt, pro pietate nocent.
Hunc timeat casum, qui se non fulcit amico.
Nec dare vult felix, quam miser optat, opem.

XVII. DE CATULO, ASELLO ET HERO.

Murmuris et caudae studio testatur amorem,
Nunc lingua catulus, nunc pede palpat herum.
Gaudet herus comitquē canem comitemque ciborum
Efficit, alludit turba ministra cani.
Arte pari similesque cibos similemque favorem
Lucrari cupiens inquit asellus iners:

---

a sec. adscriptum: *parentas.* 7) *vulpes,* sic codices semper, non: *vulpis.* 8) *in modico* (immodico?) B.

Fab. XVI. *DE LEONE.* Du. — *DE LEONE INVETERATO.* B. 6) *H. s. g.* Du. B. 7) *quae vici* H Du. B. 9) *ille*] B. — *ecce* H. Du.

Fab. XVII. *DE DOMINO LUDENTE CUM CATULO.* Du. 2) *calcat h.* Du. — *placat herum* B. 5) *cibos*]

Me catulo praefert vitae nitor, utile tergum;
Nec placeo fructu, sed placet iste jocis.
Ludens tute places. Sic ludi tempore viso,
Ut ludo placeat, ludit et instat hero.
Blandiri putat ore tonans humerisque priorum
Pressis mole pedum se putat esse pilum.
Clamat herus, vult clamor opem, subit ordo clientum;
Multa domat multo verbere clava reum.
Quod natura negat, nemo feliciter audet;
Displicet imprudens, unde placere studet.

XVIII. DE LEONE ET MURE.

Frigida sopito blanditur silva leoni.
Cursitat hic murum ludere promta cohors.
Pressus mure leo murem capit; ille precatur;
Iste precem librat, supplicat ira preci.
Hoc tamen ante movet animo: Quid mure peremto
Laudis emes? summum vincere parva pudet.
Si nece dignetur murem leo, nonne leoni
Dedecus et muri coeperit esse decus?
Si vincat minimum summus, sic vincere vinci est.
Vincere posse decet, vincere crimen habet.
Si tamen hoc decus est et laus sic vincere, laus haec
Et decus hoc minimo fiet ab hoste minus.
De pretio victi pendet victoria: victor
Tantus erit, victi gloria quanta fuit.

B. — *jocos* H. Du. 7) *et utile* H. 8) *Nec placet hic fructu* Du. — *placet ille joco* B. 9) *Ludens tute places. Sic ludi*] B. — *Ludam; lude, places. Sic ludo* (*ludi* a sec. m.) H. — *Ludam lude placet sic ludit* Du. 12) *esse pium* B. 16) *placere putat* Du. B.

Fab. XVIII. *DE MURE CAPTO ET LEONE.* Du. 3) *murem rapit* B. 4) *Ille precem* Du. B. — *subjacet ira* B. ex interpolat. 5) *Haec tamen* Du. B. 8) *et muri coeperit*] B. Du. nisi quod hic: *est m.* — *et* (a sec. m. *esse*) *muri cepit* H. 9) *vin. sum. m.* B. 11) Sic scripsi ad fidem cod.

Mus abit et grates reddit; si reddere possit,
Spondet opem. Solus fit mora parva dies.
Nam leo rete subit nec prodest viribus uti,
Sed prodest querulo murmure damna loqui.
Mus redit, hunc reperit, cernit loca, vincula rodit;
Hac ope pensat opem, sic leo tutus abit.
Rem potuit tantam minimi prudentia dentis,
Cui leo dans veniam se dedit ipse sibi.
Tu qui summa potes, ne despice parva potentem;
Nam prodesse potest, si quis obesse nequit.

XIX. DE MILUO INFIRMO ET MATRE SUA.

Morbi mole jacet milvus matremque precatur,
Ut superis pro se det sacra detque preces.
Mater ait: Mi nate, Deos et sacra Deorum
Turbasti; recolunt impia facta Dii.
Criminis ultores pensant pro crimine poenam;
Quum sacra turbares, poena timenda fuit.
Te cogit timor esse pium, te poena fidelem;
Hic timor, haec pietas cum nece sera venit.
Qui maculat vitam, mundas cur incolit aras?
Quem sua facta premunt, cur aliena levat?

XX. DE HIRUNDINE ET AVIBUS.

Ut linum pariat de lini semine, semen
Nutrit humus, sed aves tangit hirundo metu:
Hic ager, hoc semen nobis mala vincla minatur,
Vellite pro vestris semina sparsa malis.

H. qui exhibet: *Sic t. h. d. est, et laus si vincere lundis* (pro *lundis* a recentiore manu *laus est*). — *Si t. h. d. est, et l. s. v. laus est* Du. — *Si t. h. d. est, si laus sic vincere; laus haec* B. 15) *si*] Du. *sic* H. 19) *reperit*] Du. *repit* H. 23) *ne*] Du. *nec* H. 24) *prodesse solet* B.

Fab. XIX. *DE MILUO AEGROTANTE*. Du. 2) *pro se sup.* B. 4) *Turbasti*] H. Du. — *laesisti* B. 6) *Dum sacra* B. 7) *te poena*] Du. — *esse poena* H.

Turba fugit sanos monitus vanosque timores
Arguit; exit humum semen et herba viret.
Rursus hirundo monet, vitare pericula; rident
Rursus aves. Hominem placat hirundo sibi.
Cumque viris habitans cantu blanditur amico;
Nam provisa minus laedere tela solent.
Jam metitur linum, jam fiunt retia, jam vir
Fallit aves, jam se conscia culpat avis.
Utile consilium qui spernit, inutile sumit;
Qui nimis est tutus, retia jure subit.

XXI. DE TERRA ATTICA NON HABENTE REGEM.

Fabula nata sequi mores et pingere vitam,
Tangit quod fugias, quodve sequaris iter.
Rege carens, nec regis inops, sine lege, nec exlex,
Absque jugo gessit attica terra jugum.
Libertas errare negans, se sponte coëgit,
Et pudor ob legem fortior ense fuit.
Ne libitum faceret, regem gens libera fecit;
Et quae non potuit pellere jussa, tulit.
Rex coepit laniare truces, punire nocentes
Quaeque levanda levans, quaeque premenda premens.
Hos onerat novitas cives in lege novella:
Quae leviter possent, vix potuere pati.
Urbem triste jugum querula cervice gerentem
Aesopus tetigit consona verba movens:

Fab. XX. 3) *Hic ager*] H. Du. — *Haec ait* B. 4) *V. pro nostris* B. 7) *instare pericula* Du., a sec. m. idem H. B. 10) *tela nocere s.* Du. B. 14) *nimis*] Du. — *minus* H. B.

Fab. XXI. *DE TERRA LIBERA PETENTE REGEM.* Du. 2) *quodque s.* Du. 5) *Libertas errore carens* B. 9) *R. coepit lenire bonos, p. n.* B. 11) *H. o. cives positos sub l. n.* B. — *novelli* Du. 12) *Quae leniter poterant* B. ἀμέτρως. 13) *Urbem* — — — — *ferentem* Du. B. — *Urbe* — — — — *gerente* H.

DE RANIS PETENTIBUS REGEM NOVUM.

Quum nihil auderet ludentes laedere ranas,
Supplicuere Jovi, ne sine rege forent.
Jupiter huic voto risum dedit; ausa secundas
Rana preces subitum sensit in amne sonum.
Nam Jove dante trabem, trabis ictu flumine moto
Demersit subitus guttura rauca timor.
Placato rediere metu, videre tigillum,
Stando procul regem pertimuere suum.
Ut novere trabem per se non posse moveri,
Pro duce fecerunt tertia vota Jovi.
Ira Jovem movit, regem dedit, intulit hydrum,
Hydrus hiante gula coepit obire lacum.
Clamitat ecce lacus: Morimur, pie Jupiter, audi,
Jupiter, exaudi, Jupiter, affer opem!
Nos sepelit venter, nostri sumus esca tyranni;
Aufer caedis opus, redde quietis opes.
Ille refert: Emtum longa prece ferte magistrum;
Vindicet aeternus otia spreta metus.
Omne boni pretium nimio vilescit in usu,
Fitque mali gustu dulcius omne bonum.
Si quis habet quod habere decet, sit laetus habendo,
Alterius non sit, qui suus esse potest.

XXII. DE COLUMBIS HABENTIBUS BELLUM CUM MILUIS.

Accipitrem milvi pulsurum bella columbae
Accipiunt regem; rex magis hoste nocet.

Tit. *NOVUM* om. Du. 1) *Dum* B. — *ludentes*] Du. B. — *lucentes* H. 4) *sensit*] Du. B. — *sentit* H. 6) *demergit* Du. 7) *redire* Du. 11) *movit*] Du. B. — *movet* H. 12) *inire* B. 16) *A. c. onus* Du. B. — *opem* B.

Fab. XXII. *BELLUM*] Sic scribendum. — *GUERRAM* H. — *DE COLUMBIS PETENTIBUS REGEM.* Du. 1) *pulsurae* B. 5) *Si quid agas* Du. B.

Incipiunt de rege queri, quod sanius esset
Milvi bella pati quam sine Marte mori.
Si quid agis, prudenter agas, et respice finem;
Ferre minora volo, ne graviora feram.

XXIII. DE FURE ET CANE.

Fure vocante canem protensi munere panis,
Spreto pane movet talia verba canis:
Ut sileam, tua dona volunt furtique laborant
Esse locum; panem si fero, cuncta feres.
Fert munus mea damna tuum, latet hamus in esca,
Me privare cibo cogitat iste cibus.
Non amo nocturnum panem plus pane diurno;
Advena plus noto non placet hostis hero.
Non rapiet nox una mihi bona mille dierum,
Nolo semper egens esse semelque satur.
Latratu tua furta loquar, nisi sponte recedas.
Hic silet, ille manet: hic tonat, ille fugit.
Si tibi quid detur, cur detur, respice; si des,
Cui des, ipse nota, teque, gulose, doma.

XXIV. DE LUPO ET SUCULA.

Vult lupus, ut pariat maturum sucula fetum,
Seque novi curam spondet habere gregis.
Sus ait: Hac cura careas, mihi nolo ministres;
Horrent obsequium viscera nostra tuum.
I procul, ut tutos liceat mihi fundere fetus;
I procul, et pietas haec erit apta mihi.

Fab. XXIII. 1) *praetenso* Du. B. 2) *Sp. p. canis t. v. movet* Du. B. 3) *furtisque* Du. B. 8) *plus nolo* B. 11) *Latratu*] H. Du. — *latrando* B. 13) *quid datur* H.

Fab. XXIV. *DE LUPO ET SUE VOLENTE PARERE.* Du. 5) *tuto* B. 7) Correctum ab eadem manu: *parentes.* 9) *credas* Du. 10) *Qui misero* B.

Pro natis natura jubet timuisse parentem.
    Fine dato verbis hic abit, illa parit.
Tempore non omni non omnibus omnia credes;
    Qui misere credit, creditur esse miser.

XXV. DE TERRA TUMIDA PARTURIENTE MUREM.

Terra tumet; tumor ille gemit, gemitusque fatetur
    Partum: paene perit sexus uterque metu.
Quum tumeat tellus, monstrat se monstra daturam;
    Ducenti trepidant et prope stare timent.
In risum timor ille redit, nam turgida murem
    Terra parit; jocus est quod timor ante fuit.
Saepe minus faciunt homines, qui magna minantur:
    Saepe gerit nimios causa pusilla metus.

XXVI. DE CAPRA, AGNO ET LUPO.

Cum grege barbato dum ludit junior agnus,
    Tendit in hunc menti dissona verba lupus:
Cur olidam sequeris munda plus matre capellam?
    Lac tibi praebebit dulcius ipsa parens.
Est prope, festina, matrem pete, munera matris
    Lac bibe; nam servat ubera plena tibi.
Agnus ad haec: Pia capra mihi lac dulce ministrat;
    Me vice matris alit, me vice matris amat.
Non mihi, sed domino prodest me vivere; vivo
    Ut metat in tergo vellera multa meo.

FAB. XXV. *DE TERRA VOLENTE PARERE.* Du. 1) *gemitumque* Du. 3) *Dum* H. 4) *Vicini trepidant* B. — *Dicunt et tr.* Du. 6) *quod fuit ante timor* B.

FAB. XXVI. *DE AGNO LUDENTE CUM CAPRIS* Du. 3) *munda sequeris* Du. B. 4) *praeberet* Du. B. 5) *munere* Du. 7) *ministrat*] B. — *propinat* H. Du. 10) *a tergo* B. 13) *ducere*] Du. B. — *deducere* H. 14) *quam malus usus* B.

Ergo mihi praestat nutriri lacte caprino,
    Quam lac matris habens mergar in ore tuo.
Omnes vincit opes securam ducere vitam,
    Pauperius nihil est, quam miser usus opum.
Nil melius sano monitu, nil pejus iniquo,
    Consilium sequitur certa ruina malum.

XXVII. DE CANE VETUSTO ET DOMINO SUO.

Armavit natura canem pede, dente, juventa;
    Hinc levis, hinc mordax, fortis et inde fuit.
Tot bona furatur senium; nam robore privat
    Corpus, dente genas, et levitate pedes.
Hic leporem prendit; fauces lepus exit inermes;
    Delumbem domini verberat ira canem.
Reddit verba canis: Dum me pia pertulit aetas,
    Nulla meos potuit fallere praeda pedes.
Defendit senii culpam laus ampla juventae;
    Pro sene qui cecidit, facta priora vigent.
Nullus amor durat, nisi fructus servet amorem;
    Quilibet est tanti, munera quanta facit.
Magnus eram, dum magna dedi, jam muscidus annis
    Vileo, de veteri mentio nulla bono est.
Si laudas quod eram, quod sum culpare protervum est;
    Si recipis juvenem, pellere turpe senem est.
Se misere servire sciat, qui servit iniquo:
    Parcere subjectis nescit iniquus homo.

Fab. XXVII. *VETUSTO* om. Du. 2) *h. mordax*] B. — *inde vorax* Du. — *h. vorans* H. 6) *Delusum domini* B. — *Elumbem domino* Du. 8) *N. meum p. f. p. pedem* Du. B. 13) *sed mucidus an.* Du. 14) *dum veteri* Du. — *est* non habet Du. nec B. 15) *est* non habet Du. 16) *Si r.* Du. B. — *est* non habet Du. 18) *iniquus amor* Du.

XXVIII. DE LEPORIBUS ET RANIS.

Silva sonat, fugiunt lepores, palus obviat, haerent,
Fit mora, respiciunt ante retroque, timent.
Dum librant in mente metus, se mergere pacti,
Se metui et ranas stagna subire vident.
Unus ait: Sperare licet; non sola timoris
Turba sumus; vano rana timore latet.
Spem decet amplecti; spes est via prima salutis:
Saepe facit metui non metuenda metus.
Corporis est levitas, et mentis inertia nobis:
Ista fugae causam suggerit, illa fugam.
Sic timeat quicunque timet, ne mole timoris
Spe careat; gravis est spe fugiente timor.
Speret qui metuit; morituros vivere vidi
Spe duce, victuros spe moriente mori.

XXIX. DE CAPRA DIMITTENTE HOEDUM OVILI.

Capra cibum quaerens, hoedum commendat ovili;
Hunc illi solida servat ovile sera.
Natum cauta parens monitu praemunit amico,
Ut lateat, nec sit in sua damna vagus.
Hic latet; ecce lupus movet ostia: voce capellam
Exprimit, ut pateant ostia clausa, petit.
Sta procul, hoedus ait, caprizas gutture falso;
Quum male caprizes, te procul esse volo.
Quod mea sis mater, mentitur imago loquendi:
Rimula, qua video, te docet esse lupum.

Fab. XXVIII. *DE LEPORIBUS FUGIENTIBUS PER SILVAM* Du. 3) *vibrant* Du. 4) Non est in H. *et.* 6) *vanoque* H. — *ranae . . . latent* Du. 7) *Spem licet* Du. 10) *illa fugam*] Du. — *illa inercia fugam* H. — *illa necem* B. 11) *Sic metuat* B. 13) *qui timuit* Du.

Fab. XXIX. *DE CAPRA DOCENTE FILIUM SUUM* Du. 8) *Quum bene caprizas* B.

Insita natorum cordi doctrina parentum
Quum pariat fructum, spreta nocere solet.

XXX. DE RUSTICO ET ANGUE.

Rustica mensa diu nutritum foverat anguem:
Humanam potuit anguis amare manum.
Gratia longa viri subito mutatur in iram:
Ira per anguineum dirigit arma caput.
Vulneris auctor eget, se vulnere credit egenum;
Angui pro venia supplicat, anguis ait:
Non ero securus, dum sit tibi tanta securis,
Dum cutis haec memorat vulnera facta sibi.
Qui me laesit, item laedet, si laedere possit,
Expedit infido non iterare fidem.
Sed te si pigeat sceleris, scelus omne remitto,
Nam gemitus veniam vulnere cordis emit.
Qui nocuit primo, vult posse nocere secundo:
Quae dedit infidus mella, venena puto.

XXXI. DE CERVO ET OVE.

Cervus ovi praesente lupo sic intonat: Amplum
Vas tritici debes reddere, redde mihi.
Sic jubet esse lupus, paret timor ista jubenti,
Namque die fixo debita spondet ovis.
Fit mora; cervus ovem vexat de foedere; cervo
Inquit ovis: Non stant foedera facta metu.
Me decuit praesente lupo quaecumque fateri:
Me decuit fraudem pellere fraude pari.

Fab. XXX. *DE RUSTICO ET SERPENTE* Du. 1) *foverat*] B. — *noverat* H. Du. 3) *subitam* B. 5) *auctor*] B. — *actor* H. Du. 8) *facta*] Du. B. — *scripta* H. 9) *item*] Du. B. — *iterum* H. 11) *si piguit* Du. 13) *Qui p. n.* Du. B.

Fab. XXXI. *DE CERVO, OVE ET LUPO* Du. 3) *ista*] Du. — *ille* H. — *paret ista timore jubentis* B. ἀμέτρως. 7) *Me d. quaecunque lupo cogente fateri* B.

Quum timor in pacto cedit, promissa timore
Arent: nil fidei verba timentis habent.

XXXII. DE MUSCA ET CALVO.

Musca premit calvum, muscam vult caedere calvus:
Ut muscam feriat, se ferit; illa redit.
Calvus ait: Te Parca jubet vicina necari;
Si ferior, rides; si feriare, cades.
Sospes ero decies ictus, semel icta peribis.
Est mea promta mihi gratia, surda tibi.
Jure potest laedi laedens, ut laedat; in ipsum,
Unde brevis coepit laesio, magna redit.

XXXIII. DE VULPE ET CICONIA.

Vulpe vocante venit speratque ciconia coenam.
Fallit avem liquidus vulpe vocante cibus.
Quum bibit ista cibum, solum bibit illa dolorem;
Hic dolor in vulpem fabricat arma doli.
Sunt pauci mora parva dies, avis inquit: Habemus
Fercula quae sapiunt; dulcis amica, veni.
Haec venit; haec vase vitreo bona fercula condit,
At solam recipit formula vasis avem.
Laudat opes oculo vasis nitor, has negat ori
Formula: sic geminat visus odorque famem.
Sic vulpes jejuna redit, sic fallitur audens
Fallere, sic telo laeditur ipsa suo.
Quod tibi non faceres, aliis fecisse cavebis:
Vulnera ne facias, quae potes ipse pati.

---

9) *cedit*] Du. — *sedit* B. H. a sec. m., *sedet* a pr. m. — *timoris* Du. B.

Fab. XXXII. 1) *calvus vult laedere muscam* Du. 3) *vicina jocari* H. 7) *laedens*] B. — *ludens* H. Du. — *ut ludat* Du. — *in illum* B.

Fab. XXXIII. 3) *illa cibos* Du. B. — *illa liquorem* B. 7) *vase vitreo*] H. — *vitreo vase* Du. B. 10) *geminant* Du. B. 13) *alii fecisse caveto* B. 14) *ne*] H. — *non* Du. B.

XXXIV. DE LUPO ET CAPITE INVENTO.

Dum legit arva lupus, caput invenit arte superbum;
Hoc beat humanis ars pretiosa genis.
Hoc lupus alterno pede volvit verba resolvens:
O sine voce genas, o sine mente caput!
Fuscat et extinguit cordis caligo nitorem
Corporis; est animi solus in orbe nitor.

XXXV. DE GRACULO SUMENTE PAVONIS AMICTUM.

Graculus invento nitidi pavonis amictu
Se polit, et socias ferre superbit aves.
Quem fore pavonem pavonis penna fatetur,
Pavonum generi non timet ire comes.
Pavo dolum sentit, falsi pavonis honorem
Increpat, et domitam verbere nudat avem.
Nuda latet sociosque fugit minuique pudorem
Sic putat: hunc torvo corripit ore comes:
Adscensor nimius nimium ruit, aptus in imis
Est locus; haec levis est, illa ruina gravis.
Qui plus posse putat sua quam natura ministrat,
Posse suum superans se minor esse potest.
Si tibi nota satis naturae meta fuisset,
Nec vilis nec inops nec sine veste fores.
Cui sua non sapiunt, alieni sedulus auceps,
Quod non est, rapiens, desinit esse quod est.

Fab. XXXIV. *DE LUPO QUI INVENIT CAPUT HOMINIS* Du. 1) *reperit caput a. s.* Du. B. 3) *volvit p., v. resolvit* Du. B.

Fab. XXXV. *DE GRACULO QUI INDUIT SE PENNA PAVONIS* Du. 1) *nitidi*] H. — *picti* Du. B. 4) *ire*] H. Du. — *esse* B. 8) Sic Du. — *Sic et torvo* (*corvo* a sec. m.) *hunc putat corripit ore comes* H. — *Sic putat: hunc diro c. o. c.* B. 12) Sic Du. — *se minus ipse potest* H. — *se minus esse putat* B. 14) *sine teste* B.

XXXVI. DE MULA ET MUSCA.

Mula rapit cursum, nam mulam mulio cogit,
Mulae musca nocet vulnere sive minis:
Cur pede sopito cursum tempusque moraris?
Te premo, te pungo; pessima, curre levis.
Mula refert: Quia magna tonas, vis magna videri;
Nec tua facta nocent nec tua verba mihi.
Nec te substineo, sed eum, quem substinet axis,
Qui mea frena tenet, qui mea terga ferit.
Audet in audacem timidus, fortique minatur
Debilis, audendi quum videt esse locum.

XXXVII. DE MUSCAE ET FORMICAE CONTENTIONE.

Musca movens lites formicam voce sagittat,
Se titulis ornat turpiter ipsa suis:
Torpes mersa cavis, levitas mihi quaeritur alis;
Dat tibi fossa domum, nobilis aula mihi.
Deliciae sunt grana tuae, me regia nutrit
Mensa; bibis faecem, sed bibo lene merum.
Quod bibis, a ligno sugis; mihi suggerit aurum,
Quod bibo; saxa premis, regia serta premo.
Sede, cibis, potu, thalamis cum regibus utor,
Reginae teneris oscula figo genis.
Non minus urentes mittit formica sagittas,
Et sua non modicum spicula fellis habent;

Fab. XXXVI. Hic fabularum ordo perturbatur; in Du. enim 36, 37, 40, 38, 39, 41, in ed. Bip. 37, 36, 41, 38, 39, 40 sese excipiunt. 3) *tempus currumque m.* B. 5) *magna sonas* H. 7) *sustineo* — — — *sustinet* Du. B. 8) *terga gerit* Du. 10) *dum videt* B.

Fab. XXXVII. *DE MUSCA ET FORMICA* Du. 1) *sagittat*] H. Du. — *fatigat* B. 6) *dulce m.* B. 7) *a limo s.* B. 8) *saxa*] H. a pr. m. *templa* a sec. m. — *regia facta* Du. — *regia terga* B. 9) *thalamo* B. 11) *Nec minus*

Ludo mersa cavis; nescit tua penna quietem;
Sunt mihi pauca satis, sunt tibi multa parum.
Me laetam videt esse cavus, te regia tristem;
Plus mihi grana placent, quam tibi regis opes.
Venatur mihi farra labor, tibi fercula furtum;
Haec mihi pax mellit, toxicat illa timor.
Mundo farre fruor, tu foedas omnia tactu;
Quum nulli noceam, cuilibet una noces.
Est mea parcendi speculum, tua vita nocendi;
Sunt mea quae carpo, non tua rapta voras.
Ut comedas, vivis; comedo, ne vivere cessem;
Me nihil infestat, te fugit omnis homo.
Unde petis vitam, rapitur tibi vita; palato
Dulcia vina bibens fel bibis acre necis.
Se negat ala tibi ventoso victa flabello;
Aut nece vinciris, aut semiviva jaces.
Si potes aestivi dono durare favoris,
Cetera quum parcant, non tibi parcit hiems.
Dulcia pro dulci, pro turpi turpia reddi
Verba solent; odium lingua fidemque parit.

XXXVIII. DE LUPO ET VULPE.

Respondere lupo de furti labe tenetur
Vulpes. Causa vocat; hic petit, illa negat.
Simius est judex, docti non errat acumen
Judicis, arcanum mentis in ore legit.
Judicium fingit: Quod poscis, poscere fraus est;
Visque fidem de re, quam negat ipsa fides.

Du. — *immittit* H. 13) *set nescit* H. 20) *omnibus una* B. — *cuilibet ipsa* Du. 21) *parcendi*] Du. B. — *parendi* H. 22) *non nisi r. v.* B. 26) *fel n. ac. b.* Du. B. 27) *Sed negat* Du. — *Si negat* B. 30) *C. cum p., n. tibi hiems parcit* H. — *C. si p., n. t. p. h.* Du. B.

Fab. XXXVIII. 1) *pro furti* Du. 2) Sic Du. — *Vulpes causa vocat hanc hic p. illa n.* H. — *Vulpes: c. v.: h. p.,*

Tu bene furta negas, te vitae purior usus
Liberat; hanc litem pax domet, ira cadat.
Simplicitas veri, fraus estque puerpera falsi;
Esse solent vitae dissona verba suae.
Sordibus imbuti nequeunt dimittere sordes;
Fallere qui didicit, fallere semper avet.

XXXIX. DE HOMINE ET MUSTELA.

Praeda viri praedo murum mustela precatur:
Da veniam, debes parcere, parce mihi.
Quod caret hoste domus, quod abest a sorde, fatetur
Esse meum, pro me te rogat, ergo fave.
Servitio me redde tuo, mihi redde laboris
Praemia, pro dono sit mea vita mihi.
Ille refert: Operum debetur gratia menti,
Non operi; gratum mens bona reddit opus.
Nemo, licet prosit, nisi vult prodesse, meretur;
Nam prodesse potest hostis, obesse putans.
Quum mihi prodesses, mihi non prodesse volebas;
Hostibus ipsa meis et meus hostis eras.
Non mihi monstra necans, sed eras tibi provida soli;
Sic panem poteras rodere sola meum.
Pane meo pinguis mihi da pinguedinis usum;
Damnis penso necem, digna perire, peri.
Nil decorat factum, nisi facti sola voluntas;
Non operis fructum, sed noto mentis opus.

---

ille n. B. 5) *fingit*] B. — *figit* H. Du. — *poscis, quod p.* Du. B. 8) *domat; ira cadit.* B. 9) *fraus*] Du. B. — *laus* H. 10) *vitae consona* B. 11) *dimittere sordem* B. 12) *semper amat.* B.

Fab. XXXIX. 5) *redde labores,* B. 7) *Operis* B. 10) *Non prodesse p. h. obesse volens* B. 13) *necas* Du. 16) *digna*] Du. B. — *damna* H. 18) *noto*] (temp. praesens) H. Du. — *volo* B.

XL. DE RANA ET BOVE.

Aequari vult rana bovi, tumet ergo; tumenti
Natus ait: Cessa, prae bove tota nihil.
Rana dolet meliusque tumet; premit ille tumentem:
Vincere non poteris, victa crepare potes.
Tertius iratam vexat tumor; illa tumoris
Copia findit eam viscera rupta patent.
Cum majore minor conferri desinat, et se
Consulat et vires temperet ipse suas.

XLI. DE LEONE ET PASTORE.

Sollicitus praedae currit leo, spina leonem
Vulnerat, offendit in pede mersa pedem.
Fit mora de cursu, levitas inprovida lapsum
Saepe facit, laeso stat pede turba pedum.
Vix aegrum sinit ire dolor saniemque fatetur:
Major idem loquitur vulneris ipse dolor.
Quum laesit miseros fortuna, medetur eisdem:
Hoc est, cur medicum plaga leonis habet.
Nam leo pastorem reperit pastorque leoni
Pro dape tendit ovem; respuit ille dapem.
Supplicat et plagam tenso pede monstrat et illum
Orat opem; pastor vulnera solvit acu.
Exit cum sanie dolor et res causa doloris;
Hic blando medicam circuit ore manum.
Sospes abit meritique notas in corde sigillat.
Tempore deleri gratia firma nequit.

FAB. XL. 6) *guttura rupta* B. 7) *contendere desinat* B. 8) *Consulit* Du.

FAB. XLI. 2) *mersa pedes* Du. 3) *improvida* Du. B. 5) *sinit ille dolor* B. 6) *Vulnus idem* B. 7) *laedit* B. — *medetur*] Du. B. — *mandetur* H. 9) *Nam leo pastorem r.*] Du. B. — *Nam pastore r.* H. 10) *tendit oves; r. il. dapes* Du. — *praebet oves r. i. dapes* B. 11) *et illum*] Du. — *et ille* H. — *et ejus* B. 17) *Hinc*] Du.

Hinc leo vincla subit, Romanae gloria praedae
Hunc habet et multas miscet arena feras.
Ecce necis potum pastori culpa propinat;
Clauditur in mediis et datur esca feris.
Hunc leo praesentit, petit hunc; timet ille, timenti
Haec fera blanditur; sperat, abitque timor.
Nil feritatis habens ludit fera, cauda resultat,
Dum fera mansuescit, se negat esse feram.
Hunc tenet, hunc lingit pensatque salute salutem;
Nulla sinit fieri vulnera, nulla facit.
Roma stupet, parcitque viro parcitque leoni;
Hic redit in silvas, et redit ille domum.
Non debet meritum turpis delere vetustas;
Accepti memores nos decet esse boni.

XLII. DE EQUO ET LEONE.

Tondet equus pratum: petit hunc leo; causa leonem
Haec movet, ut fiat esca leonis equus.
Inquit equo: Mi frater, ave, fruor arte medendi;
Et comes et medicus sum tibi; paret equus.
Sentit enim fraudes, et fraudi fraude resistit;
Corde prius texens retia fraudis ait:
Quaesitus placidusque venis; te temporis offert
Gratia; te rogitat pes mihi sente gravis.
Hic favet, instat equo; subjecto in vertice calcem
Imprimit et sopit membra leonis equus.

B. — *Hic* H. 18) *multis m. a. feris* B. 19) *necis poenam* Du. — *culpa ministrat* H. 21) *Hunc fera pr.* B. — *H. fera praesentat* Du. 24) *mansuescit*] Du. B. — *mansuescat* H. 28) *Hic*] Du. B. — *Hinc* H. 29) *temporis del.* Du.

Fab. XLII. 5) *Sentit equus fr.* Du. B. 6) *Corde pr. terens* Du. — *Mente prius* B. 7) *te*] H. B. — *quoque* Du. 8) *m. lente* B. — *modo sente* Du. 9) *equus* Du. — *subjecto vertice* Du. B. 10) *Imprimit*] Du. — *Impremit* H. 13) *Sic*

Vix fugit ille sopor, vix audet vita reverti,
Vix leo colla movens respicit; hostis abest.
Se leo sic damnat: Patior pro crimine poenam;
Nam gessi speciem pacis et hostis eram.
Quod non es, non esse velis; quod es, esse fatere:
Est male quod non est, qui negat esse quod est.

XLIIII. DE EQUO ET INDUMENTIS.

Gaudet equus phaleris, freno sellaque superbit,
Ista quidem vestit aureus arma nitor.
Obstat asellus equo; vicus premit artus asellum,
Vexat onus, tardat natus eundo labor.
Quid mihi claudis iter, sonipes inclamat asello:
Occurris domino, vilis aselle, tuo.
Vix tibi do veniam de tanti crimine fastus;
Cui via danda foret libera, dignus eram.
Supplicat ille minis mutitque pudore silendo
Tutior, et surda praeterit aure minas.
Sessor equi declinat equo; dum vincere certat,
Vincitur, et cursum viscera rupta negant.
Privatur phaleris, auro privatur honesto;
Hunc premit assiduo rheda cruenta jugo.
Huic acuit tergum macies, labor ulcerat armos,
Hunc videt inque jocos audet asellus iners:

---

leo se B. 14) *speciem*] Du. B. — *spem* H. 16) *negat*] Du. B. — *sinit* H.

Fab. XLIIII. *DE EQUO FALLERIS* (id est PHALERIS) *ORNATO*. Du. 2) *arma decor* B. 3) *artus aselli* Du. 5) *Quid m. cl.*] Du. — *Quod sibi claudat* H. B. — *asellum* B. 7) *fastus*] Du. B. — *faustus* H. 8) *foret*] B. — *fuit* H. Du. 9) Sic H. nisi quod pro *pudore* exhibet: *timore*. — *Sup. i. m. mitigat silendo timorem* Du. — *Subticet ille timens, mutusque pudore silendo* B. 10) *Tutior et*] B. — *Fit timor et* H. Du. 11) *Summus e. d. honor;* Du. B. — *d. v. tentat* B. 13) *Pr. ph., freno sellaque nitente* B. 15) *H. t. m. ac.* Du. B. 16) *ire jocos* Du.

Dic, sodes, ubi sella nitens, ubi nobile frenum?
Cur est haec macies, cur fugit ille nitor?
Cur manet hic gemitus, cur illa superbia fugit?
Vindicat elatos justa ruina gradus.
Stare diu nec vis, nec honor, nec forma, nec aetas
Sufficit in mundo; plus tamen ista placent.
Vive diu, sed vive miser sociosque minores
Disce pati: risum dat tua vita mihi.
Pennatis ne crede bonis; te nulla potestas
In miseros armet; nam potes esse miser.

XLIV. DE QUADRUPEDIBUS PUGNANTIBUS CUM AVIBUS.

Quadrupedes pugnant avibus; victoria nutat;
Spes onerata metu vexat utrumque gregem.
Linquit aves quae sumit avis de vespere nomen,
Nec timet oppositi castra juvare chori.
Armat aves aquilae virtus et viribus inplet
Et monitu; torpet altera turba metu.
Amplexatur aves ulnis victoria laetis;
Pro titulo poenam transfuga sumit avis.
Vellere nuda suo pro plumis vulnera gestat
Edictumque subit, ne nisi nocte volet.
Non bonus est civis, qui praefert civibus hostem;
Utiliter servit nemo duobus heris.

---

17) *Sonipes, dic, u.* Du. — *ubi est sella* H. — *ubi est nob.* Du. 18) *cui fuit ille n.* B. — *cui fugit* Du. 24) *risum dat*] B. — *r. det* H. Du. 25) *non crede* Du. B. — *ne credas* H. 26) *nam. m. e. p.* B.

Fab. XLIV. Fabularum tituli a XLIV. usque ad LVIII. in Cod. H. praetermissi sunt. Adscripsimus, qui sunt in Du. 1) *v. mutat* Du. 5) *Armat*] Du. B. — *armet* H. — *implet* Du. B. 7) *aves pennis v.* B. 9) Sic scripsi. — *vulnera vestit* H. Du. — *v. portat* B. 10) *non nisi* Du.

XLV. DE ACCIPITRE ET PHILOMELA.

Dum philomela sedet, studium movet oris amoeni,
 Sic sibi, sic nido visa placere suo.
Impetit accipiter nidum; pro pignore mater
 Supplicat; alter ait: Plus prece carmen amo.
Nec prece nec pretio, sed amico flectere cantu
 Me potes. Ille silet; dulcius illa canit.
Mente gemit, licet ore canat, mens ejus acescit,
 Cujus mellifluum manat ab ore melos.
Impia fatur avis: Sordet modus iste canoris,
 Et laniat natum, matre vidente, suum.
Mater obit, nec obire potest; sic vivit, ut ipsam
 Vincat vita necem, plus nece cladis habens.
Cor matris patitur plus nati corpore; corpus
 Rodit avis rostro, cor fodit ense dolor.
Vestigat sua poena scelus; nam fraudibus uso
 Aucupe, fraudosam viscus inescat avem.
Fine malo claudi mala vita meretur; iniquus,
 Qua capit insontes, se docet arte capi.

XLVI. DE VULPE, LUPO ET PASTORE.

Ditat praeda lupum, ducit lupus otia longa,
 Fausta cibo; vulpes invidet, ista movet:
Frater, ave; miror cur tanto tempore mecum
 Non fueris, nequeo non memor esse tui.
Ille refert: Pro me vigilat tua cura, precari
 Numina non cessas, ne mea vita ruat.

Fab. XLV. 1) *philomena* H. — *movet oris*] Du. B. — *movet heris* H. — *amoenum* Du. B. 5) *sed amoeno* B. 6) *doctius illa* Du. 8) Hic vers. om. in Du. 9) *canorus* B. 11) *sed vivit* B. — *ut ipsam* om. H. 15) *sua penna* H. 17) *F. m. cl. semper mala vita meretur* B. 18) *capit*] H. B. — *rapit* Du. — *se d. a. c.*] Du. — *se dolor arte capi* H. — *se dolus arte capit* B.

Fab. XLVI. 2) *Fausta*] Du. — *Fausca* H. — *Facta* B. 5) *vigilet* Du. B. 6) *ne cesses* B. — *ne cessat* Du. —

Fraude tamen munita venis, falsoque venenum
Melle tegis; dolor est copia nostra tibi.
Extorquere paras aliquid, furtumque minaris,
Sed mea furtivam respuit esca gulam.
Spreta redit, spretam stimulat dolor, apta dolori
Fraus subit, ad pecorum transvolat ipsa ducem.
Hunc monet his verbis: Tua gratia muneris instar
Sit mihi, namque lupum dat mea cura tibi.
Hostem perde tuum; tutus jacet hostis in antro.
Vir favet, antra petit, et necat ense lupum.
Ista lupi consumit opes, sed floret ad horam
Vita nocens. Vulpes casse rententa gemit:
Cur nocui? nocet ecce mihi nocuisse nocivo;
Jure cado, cujus concidit arte lupus.
Vivere de rapto vitam rapit; invidus instans
Alterius damnis in sua damna ruit.

XLVII. DE CERVO SPECULANTE SUPER FONTEM.

Fons nitet argento similis: sitis arida cervum
Huc rapit, haurit aquas, se speculatur aquis.
Hunc beat, hunc mulcet ramosae gloria frontis;
Hunc premit, hunc damnat tibia macra pedum.
Ecce canes; tonat ira canum. Timet ille, timenti
Fit fuga, culpati cruris adorat opem.
Silvae claustra subit, cornu retinente moratur;
Crure neci raptum cornua longa necant.

---

ne mea] Du. B. — *ne nostra* H. 7. 8. 9) *venis furtumque minaris* H. Quae verba sunt intermedia, in Cod. H. non reperiuntur. 12) *illa ducem* H. B. 14) *causa tibi* H. 15) *tuto latet* Du. 16) *hic necat ecce* Du. 17) *Illa lupi* Du. 19) *Cui nocui* Du. — *ecce* non est in H. 22) *ruit*] B. — *redit* H. Du.

Fab. XLVII. 2) *Huc*] Du. B. — *Hunc* H. 4) *hunc laedit tibia* B. 7) *Cl. s. silv.* Du. B. 8) *Crura neci rapiunt* B. — *negant* Du.

Spernere quod prosit, et amare quod obsit, ineptum est:
Quod fugimus, prodest, et quod amamus, obest.

XLVIII. DE VIRO MORTUO ET UXORE.

Dum vir et uxor amant, uxorem privat amato
Parca viro, nec eam privat amore viri.
Conjugis amplectens tumulum pro conjuge, vexat
Ungue genas, oculos fletibus, ora sono.
Hanc juvat ipse dolor, nequit hac de sede revelli
Grandine seu tenebris, seu prece, sive minis.
Ecce reum damnat judex; crux horrida punit;
In cruce custodit tempore noctis eques.
Hic sitit, ad tumulum vocat hunc et clamor et ignis,
Orat aquae munus; haec dat, et ille bibit.
Aegrum nectareis audet cor tangere verbis,
Hunc vocat ad primum cura salutis opus;
Sed redit et dulces monitus intexit amaro
Cordi; victa subit castra doloris amor.
Furis vir metuens furem, suspendia furis
Visit, sed viduam tactus amore petit.
Hanc amor ipse ligat fructumque ligurit amoris:
Hic redit ad furem, sed loca fure carent.
Hic dolet, hoc questu dolor hic instigat amicam:
Non bene servato fure tremore premor.
Rex mihi servandum dederat, me regius ensis
Terret et extorrem me jubet esse timor.

FAB. XLVIII. 1) *amant se ux*. H. — *Cum vir et u. ament ux*. Du. 11) *inungere verbis* Du. B. 12) *vocat*] Du. B. — *notat* H. — *timoris opus* B. 13) *int. amico* Du. 15) *furem*] Sic scripsi. *fur* H. a pr. manu, *furta* a sec. m. — *Vir metuens furem furis* B. — *V. m. furi furem* Du. — *susp. furis*] Du. B. — *susp. furem* H. 17) *ligat*] Du. — *legat* H. — *Hanc ligat amplexu* B. — *fructum quoque capit* (carpit?) *am*. Du. 18) *Hinc redit* Du. B. 20) *timore premor* B. 22) *extorrem*] Du. B. — *exterrem* H.

Haec ait: Inveni, quae spem tibi suscitet, artem;
Vir meus implebit in cruce furis onus.
Ipsa viri bustum reserat, pro fure catenat
Ipsa virum, restem subligat ipsa viro.
Huic merito succumbit eques, succumbit amori
Illa novo; ligat hos firmus amore thorus.
Sola premit vivosque metu poenaque sepultos
Femina; femineum nil bene finit opus.

XLIX. DE THAIDE ET JUVENE IRRETITO AMORE.

Arte sua Thais juvenes irretit, amorem
Fingit, et ex ficto fructus amore venit.
A multis fert multa procis, ex omnibus unum
Eligit, huic veri spondet amoris opes.
Sim tua sisque meus, cupio: plus omnibus unum
Te volo, sed nolo munus habere tuum.
Percipit ille dolos, et fraudi fraude resistit;
Sis mea simque tuus, nos decet aequus amor.
Vivere non vellem, nisi mecum vivere velles.
Tu mihi sola salus, tu mihi sola quies.

---

23) *suscitat* Du. 25) *Ista viri* Du. B. 28) *ligat hoc* B. 29) *vivosque*] Du. B. — *vivos* H. 30) *non bene* Du.

Pro quatuor vers. extremis editio Ulmensis an. 1494. exhibet hos, quorum ultimus emendatus est ab editore Bip.

Miles ait: Nostrae nostris successibus artes
Non prosunt; aliud consule consilium.
Crinibus orbata furis frons nuda nitebat,
Istiusque viri frons manet hirta comis.
Pallentis caput illa capit, frontemque sigillans
Calvitie manibus vellit in ore pilos.
Huic merito succumbit eques; succumbit amori
Illa novo, ligat hoc firmus amore thorus.
Jam veteri novus exstincto praefertur amori.
Viva nihil fidi femina amoris habet.

Fab. XLIX. 4) *huic uni sp.* Du. 5) *plus om. un.*] H. B. — *me vivere tecum* Du. 7) *et reddit qualia sumsit* B.

Sed falli timeo, quia me tua lingua fefellit,
  Praeteriti ratio scire futura facit.
Vitat avis taxum, quam gustu saepe probavit;
  Fallere vult hodie, si qua fefellit heri.
Thaida si quis amat, sua, non se, credat amari;
  Thais amore carens munus amantis amat.

L. DE FILIO NOLENTE CREDERE PATRI.

Est pater, huic genitus; hic patri credere nescit,
  Nam facienda fugit, et fugienda facit.
Mens vaga discurrit et menti consonat aetas;
  Mentis et aetatis turbine frena fugit.
Ira senis punit nati pro crimine servos,
  Instruit ista senem fabula nota seni.
Cauta bovem vitulumque manus supponit aratro.
  Hic subit, ille jugum pellit; arator ait:
Gaude, laetus ara, quem nunc domat usus arandi;
  A bove majori discat arare minor.
Non placet, ut sudes, sed des exempla minori,
  Qui pede, qui cornu pugnat abire jugo.
Sic domat indomitum domito bove cautus arator,
  Sic veterem sequitur junior ille bovem.
Proficit exemplo merito cautela docendi,
  Majorique sua credat in arte minor.

---

11) *falli metuo* B. 13) *quam gustu saepe*] Sic scripsi. — *quem gustu saepe* Du. — *quam gestum teste* H. — *quem gustu teste* B. 14) *signa fefellit* B. 16) *amore caret* Du. B.

Fab. L. 1) *huic natus* B. — *hic credere nescit patri* H. Ordinem Du. secutus sum, qui etiam: *est genitus*. — *cedere nescit* B. 5) *Ira semel* Du. — *pro nati* Du. B 6) *nota*] B. — *nata* H. — *nata sequi* Du. conf. XXI. vers. 1. 9) Sic Du. — *tu laetus ara quem d. u. ar.* H. — *G. l. a., tu quem d.* B. 10) *majori*] Du. — *majore* H. B. 11) *ut suades* Du. 15) *exempli merito* Du. — *exemplo tanto* B. 16) *credit* Du. — *M. minor credat in a. s.* B.

LI. DE VIPERA ET LIMA FABRILI.

Vipera fabrilem, dapis anxia, tendit in aedem;
Incipit haec limam rodere, lima loqui:
Nescis posse meum, quae sit mea gloria, nescis,
Dente meo pateris, non ego dente tuo.
In tenuem ferrum forti molo dente farinam,
Et cadit a tritu dura farina meo.
Ferrea praesenti castigo tubera morsu,
Aspera plano, seco longa, foranda foro.
Deliras igitur, quum dente minaris inermi;
Rideo, quum ferior; vulnera ferre gemis.
Fortem fortis amat, nam fortem fortior angit.
Majori timeat obvius ire minor.

LII. DE LUPO ET OVE.

Pugna lupis opponit oves, oviumque satelles
Est canis, est aries; hac ope fidit ovis.
Palma diu dormit, desperat turba luporum,
Et simulans foedus, foedere tentat ovem.
Foedus utrumque fides jurato numine fulcit,
Id lupus, id simplex obside firmat ovis.
Datque lupis male sana canem recipitque luporum
Pignora, nec metuit nec sua damna videt.
Quum natura jubet natos ululare lupinos,
Turba lupina furit foedera rupta querens.

FAB. LI. 6) *cadit attritu* Du. B. 7) *Ferrea parcenti* H. — *F. forti* Du. 9) *cum dente mineris* Du. B. 11) *nam*] H. — *sed* B. — *amet nam* Du. 12) *Majori metuat* B.

FAB. LII. 2) *est vervex; h.* B. 3) *diu*] Du. B. — *dium* H. 5) *utrique* Du. 7) *lupis m. s. canem*] Du. B. — *lupus m. s. canes* H. — *recipitque luporum*] Du. B. In cod. H. haec evanuerunt. 8) *nec metuit*] Du. B. — *nec timet* H. 9) *Dum natura* Du. B. 12) *tumulatur*] Du. B. — *cumulatur* H. 13 et 14) *Tutorem retinere . . . . Nam si tutor abest*] Du. B. In H. haec evanuerunt.

Ergo pecus tutoris egens in viscera mergit;
Praeside nuda suo sic tumulatur ovis.
Tutorem retinere suum tutissima res est;
Nam si tutor abest, hostis obesse potest.

LIII. DE SECURE ET LUCO.

Quo tenatur, eget nihil ausa secare securis.
Armet eam lucus, vir rogat; ille favet.
Vir nemus impugnat lassans in caede securim;
Arboris omne genus una ruina trahit.
Lucus ait: Pereo, mihimet sum causa pericli;
Me necat ex dono rustica dextra meo.
Unde perire queas, hostem munire caveto.
Qui dat quo pereat, quem juvat, hoste perit.

LIV. DE LUPO ET CANE.

Cum cane silva lupum sociat. Lupus inquit: Amoena
Pelle nites, in te copia facta patet.
Pro verbis dat verba canis: Me ditat herilis
Gratia, cum domino me cibat ipsa domus.
Nocte vigil fures latratu nuncio, tutam
Servo domum; mihi dat culmus in aede thorum.
Haec movet ore lupus: Cupio me vivere tecum,
Communem capiant otia nostra cibum.
Reddit verba canis: Cupio te vivere mecum,
Una dabit nobis mensa manusque cibum.

FAB. LIII. 1) *eget nil* Du. B. — *securis*] Du. In H. evanuit. 2) *Armet*] B. — *armat* Du. — *armavit* H. — *favet*] Du. In H. evanuit. 3) *securem* Du. 7) *Unde*] Du. In H. evan. — *munire cavebis* B. 8) *Qui dat*] Du. In H. evan. — *hoste perit*] H. B. — *petit hostem* Du.

FAB. LIV. 1) *inquit: Amice*, B. 2) *facta*] Du. — *sancta* H. — *pulchra* B. 4) *Gratia*] Du. In H. evan. 5) *nuntio* B. 6) *Servo*] D. In H. evan. — *aede domum* Du. 8) *capient* Du. 14) *diurna fero* Du. B. 15) *V. l. r.* B. 21) *vera voluntas* Du. 24) *hic agit* Du. B.

Ille favet sequiturque canem, gutturque caninum
Respicit et quaerit: Cur cecidere pili?
Inquit: Ne valeam morsu peccare diurno,
Vincla diurna gero, nocte jubente vagor.
Reddit verba lupus: Non est mihi copia tanti,
Ut fieri servus ventris amore velim.
Ditior est liber mendicus divite servo;
Servus habet nec se, nec sua; liber habet.
Libertas, praedulce bonum, bona cetera condit,
Qua nisi conditur, nil sapit esca mihi.
Libertas animi cibus est et vera voluptas,
Qua qui dives erit, ditior esse nequit.
Nolo velle meum pro turpi vendere lucro:
Has qui vendit opes, hoc agit ut sit inops.
Non bene pro toto libertas venditur auro;
Hoc coeleste bonum praeterit orbis opes.

LV. DE PEDIBUS ET MANIBUS ET VENTRE.

Incusant avidi pes et manus otia ventris:
Omnia solus habes lucra labore carens.
Nos labor edomuit; te fovit inertia, sorbes
Omnia, quae nostri cura laboris emit.
Disce pati famis acre jugum, vel disce labori
Cedere, teque tui cura laboris alat.
Sic ventri servire negant; se venter inanem
Comperit, orat opem, nil dat avara manus.
Ille preces iterat; iterum fugit illa precantem;
In stomachi fundo torpet obitque calor.

FAB. LV. 1) *pes et manus*] Du. B. — *pedes* H. a. sec. manu rescriptum. 2) *carens*] Du. B. — *cares* H. 3) *edomuit*] Du. B. — *et domuit* H. — *fovet* H. 4) *quae nostri*] Du. B. — *quae nostra* H. 5) *vel*] Du. Deest in H. 6) *Cedere*] Du. — *Credere* H. B. — *eqausa laboris* Du. 9) *fugit*

Victa fame natura fugit, sitis arida fauces
  Obserat, ut solitum non sinat ire cibum.
Vult epulas dare sera manus; sed corporis aegri
  Perdita non reparans machina tota perit.
Nemo sibi satis est, eget omnis amicus amico;
  Si non vis aliis parcere, parce tibi.

LVI. DE SIMIA ET VULPE.

Simia de turpi queritur nate; porrigit aurem
  Vulpes, nec recipit mente, sed aure, preces.
Simia sic fatur: Natis ut mihi dedecus ornem,
  Sufficeret caudae pars mihi parva tuae.
Quid prodest nimia campos exsculpere cauda?
  Quod mihi prodesset, est tibi pondus iners.
Illa refert: Damnas nimio de pondere caudam;
  Est brevis estque levis, haec duo damna queror.
Malo, verrat humum, quam sit tibi causa decoris,
  Quam tegat immundas res bene munda nates.
Id minimum minimoque minus ditaret egenum,
  Quod minimum minimo credis, avare, minus.

LVII. DE INSTITORE ET ASELLO.

Quum fora festinus lucro petit, instat asello
  Institor et pressum pondere fuste premit.

---

illa precantem] Du. B. — *fiyit illa precante* H. 11) *vis arida* H. B. 12) *et solitum non sinit* B. 16) *tibi*] Du. B. — *mihi* H.

Fab. LVI. 2) *Vulpes, nec*] Sic Du. — *Vulpes, ne* H. — *Vulpis non* B. 4) *caudis pars* Du. 5) *insculpere* Du. B. 7) *Nimio damnas* Du. B. 10) Hic vers. in H. praetermissus est. 11) *Id nimium nimioque magis d. e.* B. 12) *Q. nimiuu minimo* B.

Fab. LVII. 1) *Dum* Du. B. 5) *N. quum bella facit et ty. pulsat a.* B. 6) Hic] Du. B. *Hinc* H. — *haec pulsa*] B. — *hanc pulsatur* H. — *hic pulsat* Du.

Ille necem sperat nece promittente quietem,
Sed nece completa vivere poena potest.
Nam cribella facit et tymbana pellis aselli,
Hic lassatur et haec pulsa tonante manu.
Cui sua vita nocet, caveat sibi rumpere vitam;
Non nece, sed meriti jure, quiescit homo.

LVIII. DE CERVO FUGIENTE AD BOVES.

Motus voce canum cervus fugit, avia silvae
Deserit, arva tenet, claustra bovina subit.
Bos ait: Aut luci latebras, aut aequora campi
Tutius intrares, hinc piger, inde levis.
Huc veniet custosque boum stabulique magister:
Si duo, vel tantum te videt alter, obis.
Cervus ait: Mihi vestra necem clementia demat,
Credite me tenebris, ut juvet umbra fugam.
Hunc tumulat foenum. Praesepe revisit arator,
Frondibus et foeno munit alitque boves.
Hic abit ac cervus vitasse pericula gaudens
Bobus agit grates; e quibus unus ait:
Est leve vitare caecum: si venerit Argus,
Argum si poteris fallere, victor eris.
Centum fert oculos, cui se debere fatentur
Et domus et servi totaque jura loci.
Res tua te reperit Argum, res altera caecum.
Qui tibi dormitat, scit vigilare sibi.

Fab. LVIII. *DE CERVO FUGIENTE ET SILVA* Du. 3) *luci tenebras* Du. B. In cod. H. verba v. 1. *fugit, avia silvae*, 2. *bovina subit*, 3. *Bos ait:* — — — *aut aequora campi*, 4. *Tutius* — — — — *levis* evanuerunt, et folium sequens, si quod unquam fuit, periit. Itaque ut illa verba, sic cetera omnia e Du. adjecimus. 8) *latebris, dum juvet* B. 9) *tumulant foeno* B. 11) *abit*] B. — *redit* Du. — *gaudens*] B. — *gaudet* Du. 12) *ait grates* Du. 17) *Res*

Hic silet. Argus init stabulum bobusque ministrat;
Plus aequo tenues viderat esse boves.
Dum munit praesepe cibo, dum fulgurat ira,
Ausa videre diem cornua longa videt.
Quid latet hic? quid, ait, video? sentitque latentem,
Et bona fortunae munera laetus habet.
Exsulis est non esse suum, vigilare potentis,
Stertere servorum, velle juvare pii.

LIX. DE JUDAEO ET PINCERNA.

Fert Judaeus opes, sed onus fert pectore majus;
Intus adurit eum cura laborque foris.
Ergo metu damni sibi munere regis amorem
Firmat, ut accepto produce tutus eat.
Regius hunc pincerna tegit, cor cujus adurit
Auri dira fames, qui parat ense nefas.
Silva patet, subeunt. Judaeus in ore sequentis
Cor notat: Ipse sequar, inquit; at ille negat,
Et gladium nudans: Nemo sciet, inquit, obito!
Ille refert: Scelus hoc ista loquetur avis.
Prosilit a dumo perdix, hanc indice signat.
Alter ait: Scelus hoc ista loquetur avis?
Hic rapit ense caput, et opes metit, et scrobe funus
Celat. Agit celeres annus in orbe rotas.
Perdices domini coenae pincerna ministrat:
Ridet et a risu vix vacat ipse suo.

---

sua sollicitat A. B. 19) *Argus init stabulum*] B. — *A. adest, pabulum* Du. 21) *munit* deest in Du. 23) *quid, ait*] B. — *inquit* Du. 26) *Stertere*] B. — *Spernere* Du.

Fab. LIX. 3) *damni*] B. — *damnis* Du. 5) *tegit*] B. — *regit* Du. 6) *fames*] B. — *sitis* Du. — *ense*] B. Deest inuDu. 11) *a dumo*] B. — *ab ulmo* Du. 13) *Hic rapit*] D. — *Et rapit* B. 14) *celeres*] B. — *celeris* Du. 15) *coenae*] B. — *coena* Du. 17) *cupit*] B. — *sitit* Du. 18) *movet*]

Rex audire cupit: hic differt dicere causam.
Fit locus, ambo sedent; hic movet, ille refert.
Rex dolet et laeto mentitur gaudia vultu;
Regis concilium consiliumque sedet.
Pincernam crucis esse reum, sententia prodit:
Crux punit meritum, jure favente cruci.
Ut perimas quemquam, nullum tibi suadeat aurum;
Nam decus et vitam justa ruina rapit.

LX. DE CIVE ET MILITE.

Civis, eques sub rege vigent: hic proelia regis,
Hic dispensat opes; hic vir, et ille senex.
Invidiae, perflata genas, ignita doloris
Flammis, fax juvenem torret honore senis.
Regis in aure truces figit de cive susurros:
Non est pastor, ait, sed lupus ille senex.
Ditant furta senem, crevit sua copia furtis
Et sua de censu gaza recisa tuo.
Firmabo mea verba manu; sua furta fateri
Hunc faciam: bello judice verus ero.
Quum moveant objecta senem; plus debilis aetas
Hunc movet et senii crimine visus hebes.
Parcunt jura seni, si pro sene pugnat amicus,
Cui nullius amor foenoris arma probat.
Mendicat pugilem; sed abest qui pugnet amicus,
Nam refugit viso turbine falsus amor.

B. — *petit* Du. 22) *cruci*] B. — *crucis* Du. 24) *justa ruina*] Du. — *moesta rapina* B.

Fab. LX. 3) *ignita doloris*] B. — *innata labori* Du. 5) *figit d. c. susurros*] Du. — *fingit d. c. querelas* B. 6) *Est tibi non pastor, sed* B. 7) *crevit sua copia furtis*] B. — *cogar sua furta fateri* Du. 8) *tuo est* B. 12) *ac senii* B. 14) *nullius amor*] B. — *nullus ordo* Du. 15) *pugnet*]

Dum fortuna tonat, fugitivos terret amicos,
Et quis amet, quis non, sola procella docet.
Coena trahit civem, differt nox una duellum:
Sollicitat mentem justa querela senis.
Quos meritis emi, multos mihi fecit amicos
Longa dies, cunctos abstulit hora brevis.
De tot amicorum populo non restitit unus;
Quamque dedi multis, nemo repensat opem.
Rebar pace frui, paci mea congruit aetas;
Sed mea turbavit gaudia livor edax.
Hosti multa meo palmam pepigere: tepesco,
Ille calet; careo viribus, ille viget.
Arma parum novi, totum se praebuit armis:
Est mihi visus hebes, visus acutus ei.
Nil mihi praebet opem, nisi justae gratia causae:
De fragili queritur praeside causa potens.
Corporis eclipsim timet alti copia cordis,
Nam fragili peccat mens animosa manu.
Si turpes nitidae mendax infamia famae
Infigit maculas, quid nituisse juvat?
Desperat lugetque senex. Hunc lenit arator,
Qui senis arva novat, annua lucra ferens:
Me stimulat pietas pro te perferre duellum,
Est mihi pro domino dextra parata meo.
Ecce dies oritur, locus est tempusque duelli:
Stant pugiles, ineunt mente manuque simul.
Est equiti foedum, quod stet, qui pugnet, arator;
Seque putat victum, ni cito vincat eum.

B. — *pugnat* Du. 18) *amet*] B. — *amat* Du. 20) *Sollicitat mensam* B. 25) *mea paci* B. 29) *se totum* B. 31) *spondet opem* B. 35) *turpes*] B. — *turpis* Du. — *famae*] B. — *vitae* Du. 37) *Desperat*] B. — *Disperat* Du. 38) *arva colit* B. 42) *Sunt pugiles* B. — *simul*] B. — *sibi* Du. 44) *eum*] Du. — *eques* B. 53) *cogitat*

Nil de se retinet virtus oblita futuri:
Dextera corporeas prodiga fundit opes.
Ictus ipse suos steriles expendit in usus,
Et feriens hostem se magis hoste ferit.
Sed propriae virtutis opes abscondit arator,
Dum locus expensae detur et hora suae.
Aut motu fallit, aut armis temperat ictus,
Praedicitque minas frontis utrumque jubar.
Dormitans vigilat, et cessans cogitat ictus
Et metuens audet dextra notatque locum.
Haec mora non artis ratio, sed causa timoris
Creditur: arte fruens esse videtur iners.
Gaudet eques, vicisse putans, spernitque bubulcum,
Sudoremque suum tergit ab ore suo.
Ecce moram nescit; equitem speculata morantem
In cubiti nodum rustica clava ferit.
Hujus plaga loci totius corporis aufert
Robur: cedit eques seque cadente sedet.
O nova simplicitas! sedet iste vocatque sedentem,
Et nisi surgat eques, surgere velle negat.
Surge, bubulcus ait; cui miles: Surgere nolo.
Alter ait: Sedeat, meque sedere licet.
Turba stupet; praefectus adest equitique moranti
Imperat, ut pugnet aut superatus eat.
Haeret eques. Praefectus ait: Te vicit arator.
Pugna cadit. Regi panditur ordo rei.
Rex ait: Incisum renova, praefecte, duellum;
Dedecus explanet ille vel ille suum.
Pugna redit milesque sedet, velut ante sedebat.
Surge, bubulcus ait. Non volo, dixit eques.

---

ictum B. 56) *fruens*] B. — *ferens* Du. 58) *suo t. ab. o. suum* B. 60) *In*] B. — *Et* Du. 66) *ait: Sedeas* B. 71) *renova*] B. — *nota* Du. 74) *Non volo, miles ait* B. 75) *ego stare recuso* B. 76) *tentas*] B. — *tentes* Du. 85) *timi-*

Cultor ait: Dum stare negas, ego stare negabo;
Surgere si tentas, surgere promptus ero.
Ambo sedent: ridet populus, praesesque bubulco
Intonat: Aut pugnes, aut fuge; tempus abit.
Cultor ait: Surgat; caderet, si surgere vellet.
Percute, praeses ait; percute, surget eques.
Te decet aut illum victi sibi ponere nomen.
Hoc mihi non ponam nomen, arator ait.
Surgo, surge, miser; nam turpe ferire sedentem
Est mihi, sitque tibi turpe sedendo mori.
Sic ait et timidum mulcat; rogat ille furentem:
Parce mihi victo, supplico; victor abi.
Laeta novat fortuna senem; senis unicus heres
Scribitur, et dignas intrat arator opes.
Jus superat vires, sors aspera monstrat amicum.
Plus confert odio gratia, fraude fides.

* * *

Fine sui, versu gemino, quod continet, omnis
Fabula declarat, datque quod intus habet.

LXI. DE CAPONE ET ACCIPITRE.

Quaerere diffugium, domino veniente, caponem
Audax accipiter dum videt, inquit ei:
Quid fugis? exsulta, dominum quum cernis adesse,
Cujus in adventu plaudere nitor ego.

---

dum mulcat] B. — *mulcet timidum* Du. — *rogat iste* B. 86) *Parce mihi victo*] B. — *Victor parce mihi* Du. 88) *dignas*] B. — *laetas* Du.

Fab. LXI. Fab. 61. et 62. alium sapere auctorem jam supra monitum est. 3) *dum cernis* Du. 11) *sine vi* deest

Me, capo respondit, fratrum diversa meorum
Terret poena; tibi non timor ullus adest.
Nil magis horrendum, quam flebilis aula tyranni,
Qua pietas omnis cum ratione perit.
Raptores famulique truces scelerumque ministri
Injustis dominis impietate placent.
Qui sine vi, sine fraude manent, hi fraude necantur;
Nullo damnantur crimine saepe boni.
Sic fratres periere mei. Te reddit amicum
Impietas domino nequitiaeque vigor.
Hi proprias lavere stolas in sanguine; passos
Martyrium sepelit venter avarus eos.
Illius ergo timens adspectum credo latere
Tutius, ut morti me rapuisse queam.
Non amat insontes, sed sontes aula tyranni;
Complacet injusto raptor iniquus hero.

LXII. DE LUPO ET PASTORE.

Cum pastore lupus sociabile foedus inivit,
Interius totus dissociatus ei.
Ergo dolum sub melle tenens lupus inquit: Amice,
Sum pavidus crebra garrulitate canum.
Ille suo nostrum latratu scindit amorem,
Ille bonum pacis dissociare petit.
Si me securum, si me vis reddere tutum,
Obses tutelae sit datus ille mihi.

---

in Du. 12) *damnentur* Du. 15) *lavare* Du. 20) *Cum placet* Du.

FAB. LXII. 1) *sociale* B. 2) *dissociatur* B. 4) *crebera* B. 8) *sit datus ille mihi*] B. — *sit ille mihi meae* Du. 9) *tutus* deest in Du. 10) *miseras*] Sic scripsi. — *miseris*

Exhibito vigili, lupus intrat tutus ovile,
    Dilanians miseras opilionis oves.
Pacis amatorem simulat se perfidus hostis,
    Cautius ut vulnus exitiale ferat.
Cujus semper eges, rem nulli tradere debes.
    Blanditiae plus quam dira venena nocent.

Du. — *missas* B. 13) *semper eges, rem*] B. — *eges semper tu* Du.

In Cod. Du. fabulis haec subjunguntur:

Explicit iste liber scriptor sit crimine liber.
    Explicit liber esopus. deo gracias. Amen.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 40. lin. 11. ab init. post cornua dele punctum.
- 41. - 16. et 17. - lege: *Sera dant poenas turpeis poenitentia* D. teste Rigalt.
- 44. post lin. 6. a fine adde: *Lupus ait: Scio panem canis commodatum* A. — *Commodatum* etiam Rom. Ulm., sed Rom Div. *commendatum.*
- 105. lin. 11. ab init. pro Mumeremus lege Numeremus.
- 113. - 5. et 6. a fine inverso legas ordine.
- 137. - 16. ab init. bilingium lege bilinguium.
- 155. - 10. a fine pro: srevarem, lege: servarem.
- 176. - extrema post *parentes* adde H.



